

De Odofredi Mülleri historiae et antiquitatis tractandae
ratione disputatio.

Scriebat C. Mauritius Fleischer ph. Dr.

Quem quidem permulti, qui in antiquitate maxime pervestiganda occupati sunt, tamquam egregium suorum studiorum ducem ac moderatorem, et jure quidem, suspiciant, cujusque fama intra Germaniae fines non contineatur, Odofredum Müllerum si quis neque pari doctrina instructus, neque eadem fama florens facili se opera comprehendere posse ratus percurre, quid in quaque antiquitatis atque historiae parte cum ingenio tum doctrina praestiterit, atque perpendere conetur, idque quamvis angustis et spatii et temporis finibus circumscriptus — is haud dubie verendum est ne aut in summae levitatis crimen incurrat, aut maligna quadam invidia ductus magna quaeque ad sui ingenii mediocritatem metiri ac deminuere velle putetur. Quod quum ita sit, excusatione mihi quadam vel potius explicatione duntaxat non videtur superse- dendum esse, qui de tantae gravitatis et re et viro paucis pagellis coactum iudicium expromere audeam, praesertim quum modo superiore anno, quum similis scribendi provincia obtigisset, in commentariis, quos de mytho imprimis graeco proposui, eundem virum egregium iudicio arces- siverim, cujus mythorum tractandorum rationem ita non rectam esse intelligerem, ut in mythis dispiciendis tenebris potius quam cognitione offunderetur, qui eam sequendam esse putaret. Duplex igitur quum inde suspicio possit oriri, me aut, quod vixdum satis magna diligentia et copia tractari queat, quasi uno id verbo profligare me posse arbitrari, aut vel studiorum mala simplicitate vel petulantia quadam adactum esse, ut unum identidem virum lacessendo peterem, ad utrumque mihi respondendum videtur. Etenim singula quaeque, quae vir celeberrimus de antiquitatis rebus statuerit, excutientis in modum curiose persequi adeo non molior, ut univer- sorum potius, remota omni umbratilis doctrinae suppellectile, principia tantum ac fundamenta explorare quamque sint vel infirma vel perversa exemplis coner, paucis illis quidem, sed satis luculentis demonstrare. Müllerum autem ut potissimum peterem, necessitate id potius qua- dam quam maligno consilio factum est. Latius enim quum hoc historiae scribendae genus pateat, quam ut unius Mülleri dici haberique possit, multorum certe virorum nomina ac sententiae et in medium proferendae et exquirendae fuissent, nisi obstitisset angusta scriptionis ratio, quae quamvis invitum in tantam brevitatem compelleret censuramque ad unius viri nomen et librum revocaret. In qua re si magnae gravitatis virum quam ignobile quoddam caput arcessere malui, quis est, qui reprehenderit? Ceterum qui melius de cujusquam historica arte

ac ratione praejudicium potest fieri, quam, si quid de mythis statuatur, antea sit examinatum, e quibus non solum nutrimenta prima ac praesidia capiat historia, sed quibus ipsa tamquam fundamentis utatur, quique historiae adeo initia habenda sint, ut nisi qui hos cognitos ac perspectos habeat, consistere in illa ac domicilium figere non possit.

His praemissis quam invidiam forsitan conatus meus conflaverit, dissipatam fore confisus ad ipsam rem subeundam accingar, quamquam, ne statim mediam arripiam, brevitatis quaedam ratio obstat, quae, ne in sententiis proferendis singula quaeque caussis atque argumentis munienda ac singulae subinde universae disputationi interponendae sint, suadere videtur, quid de historia recte scribenda sentiam, breviter ut complectar atque expromam, qua re nitens deinceps et brevius et expeditius iudicis partibus possim perfungi. At vero, dixerit aliquis, quam haec est injusta agendi ratio? Numne Müllero tuam de conscribenda historia sententiam tamquam unice veram obtrudere vis? An vero quod ex alienis longeque diversis vel legibus vel sententiis profectum est, id ad tui iudicii regulam ac normam exigere? Utroque tantum abest ut peccare velim, ut meam de scribenda historia sententiam non tamquam alienam obtrudere, sed ut veram demonstrare decreverim, quod nimirum nisi tota in conspectu posita fieri satis non potest, utque Müllerum non sub alienae legis vincula conjicere, sed ex ipsius viri sententiis, quas pro veris habet, quarumque quasi ductu se et auspiciis scripsisse profiteretur, iudicare quamque parum ipse sibi constans fuerit, velim exponere.

Herodotus, Xenophon, Thucydides quum res Graecas scriberent, sanequam alia scribendi conditione, quam quae in nos quoque cadere posset, utebantur, quippe qui non solum quae vel ipsi viderant vel a spectatoribus audiverant, vel quae tamen eodem tempore ejusdemque animi quasi temperamento effecta erant, traderent, sed quibus ea aetate vivere contigisset, qua quidquid animum humanum pepulit eumque vel amore vel admiratione vel delectatione quadam complevit, quasi sponte ac non data opera ad imaginem quodammodo perfectam coalesceret certamque formam, nullis illam sobriae mentis dabitacionibus perturbatam indueret. En felix Graecorum ingenium, quibus ore rotundo Musa dedit loqui, en historicae artis primordia, ubi res, quasi ipsae, quae ratio sit sua, subsentiant, fari videntur, quorumque perfecta exempla, quum graeca phantasia parens sit atque effectrix, nisi in Graecia nusquam reperiuntur. Talem rerum scribendarum rationem nos ut admiramur, ita imitari nec possumus, nec volumus. Fuit enim haec quondam animi humani ingenua quaedam simplicitas, qua quocumque quidquid modo sensibus oblatum est, ita cum fide homo ad animum propagaret, eademque cum fide leviter tantum animi spiritu quasi afflatum reddens ad artis formam effectum in medio poneret, fuit haec quondam simplex contractiorque animi natura, fuitque Graecorum propria, ceteris gentibus negata. Quae quum orbem terrarum latius circumspicere multorumque saeculorum memoriam animo complecti coepissent, sane alia paullatim facta est rerum contemplandarum ratio et singularum et universarum. Fieri enim non potuit, quin qui singulis subtilius dispiciendis operam daret, non solum in explorandis iis, quae sub oculorum conspectum cadunt, versaretur, sed id quoque, quod oculis cerni non potest, quodque externa illa forma quodammodo indutum est, quoque externa quaeque cientur ac moventur, cognoscere atque iudicare studeret. Jam non satis visum est in re aliqua enarranda constitisse, nisi quoque cur et qua ratione ita factum esset, in promptu haberetur. „Nobis non modo satis esse video,“ quae sunt Sempronii Asellionis verba ap. Gell. Noct. Att. V, 18, „quod factum esset, id pronuntiare, sed etiam quo consilio quaque

ratione gesta essent demonstrare.“ Ac paullo post: „scribere autem bellum, quo initum consule et quomodo confectum sit, et quis triumphans introierit, et quae eo in bello gesta sint iterare: non praedicare autem interea, quid senatus decreverit, aut quae lex rogatione lata sit, neque quibus consiliis ea gesta sint, id fabulas pueris est narrare, non historias scribere.“

Ex quibus videmus, quam jam Romanus ad rerum cognitionem indagare causas necessarium duxerit, quae causae quamquam scriptoribus sub humanorum consiliorum tantum forma apparebant, inest tamen animi quoddam in externa rerum ratione, quantumvis delitescat, cognoscendi studium, quocum conjunctum est rerum, quo modo communi quodam vinculo ac nexu contineantur, si minus intelligentia, tamen sensus quidam.

Adauctior ac locupletior, quae per Christianam doctrinam effecta est, animi humani vis ac potestas ad historicam quoque artem redundaret sanequam necesse erat, etsi primum quidem subvertere illam atque veluti extinguere videbatur. Doctrina Christiana nimirum quum absoluti, quem dicimus, dei cognitionem consecutum esset genus humanum in eoque venerando omnem omnis vitae quasi summam contineri perspexisset, factum est primum, ut deum huic terrestrium rerum rationi tamquam prorsus contrarium opponerent ita, ut qui maxima cum pietate venerari deum in eoque contemplando defixi esse vellent, totam rerum naturam omnesque, quae ad humanitatem pertinerent res, fastidirent totamque vim bene vivendi ac veram Christianorum fortitudinem in omnium humanarum rerum contemptione ac despicientia ponerent. Quo quisque igitur ad dei gloriam, ad veritatem ac virtutem ardentior esset, ita ab hominum humanarumque rerum communiione recedendum ac deserta petenda esse censebat, ubi nulla humanarum rerum memoria interpellante ad deum conferret quidquid animi haberet. Quid? quod corpus suum flagellis, fame, siti, aliis rebus castigabant omnique modo excruciant, quo quasi humanitatem enecarent animumque divinum tamquam victorem celebrarent. In qua animi opinione quam parum incrementa capere ars historica potuerit, haud obscurum esse videtur, quum quod tamquam divinae rationi contrarium vel suspectum vel invisum erat, scriptoris id animum ita in se convertere non posset, ut rerum internam rationem nexumque cum aliis persentiret. Quare mirum esse nequit, quod in media, quam dicimus, aetate historia veluti ad tirocinia sua reverti videtur, et quod tam pauci rerum scriptores exstiterunt, simillimi illi antiquorum ab ingenua quadam simplicitate atque candore animi, ab artis et pulchritudinis ratione dissimillimi.

Sic perventum est ad recentiore aetate, in qua quum mire quantum animus humanus effloresceret, tum illa absoluti dei cognitio ut per omnem magis magisque humanitatem fundebatur, ita apertior, explicatior, manifestior habebatur. Sic deum in rerum natura divinamque rationem in omnibus, quae fiunt, cernere consuevimus, hinc suum cuique debitum jus dari coeptum est, hinc vera animi scientia originem duxit, quae non in rebus sola memoria complectendis, sed in rerum ratione et quasi animo et investigando et persequendo cernitur. Ex his igitur doctrinarum incunabulis quum historia quoque nova incrementa caperet, factum est, ut cujus quondam ars et quasi pulchritudinis forma, deinde sobriae quoddam mentis iudicium, tum jejuna quaedam in externa rerum ratione haerens veritas fuisset moderatrix, ea denique ad severas scientiae leges revocaretur. Ac quam multifariam in hac historiae disciplina varii rerum scriptores versati sint, seu quae paullatim historiae scribendae genera exstiterint exponere neque hujus loci neque consilii mei esse potest; sufficiat historicae artis historiam eo perduxisse, quo

quum ad scientiam effluerit, ad scientiae amussim exigi posse videatur. Vide modo, quam sit difficile factum singularum rerum rationes perspicere, non illas in externis quibusdam causis vel in hominum mente consiliisque positas, sed e divina necessitate profectas, quamque difficile universarum rerum constanter. Nunc tantum abest, ut, qui rebus ipsi interfuerint, verissimi iidem rerum iudices habeantur, ut aequales omnium quidem optime historiae condendae silvam comparare, at rectum de rebus iudicium habere dicantur vel minime. Ea est enim humani animi natura, ut turba praesentium rerum offusa acies oculorum facile praestringatur dispiciendique sollertia hebescat, praesertim quum quidquid nostra aetate fit, partem id quodammodo nostri animi contineat eamque ob causam nos non commovere, arrigere, ferire, percellere non possit vel spe vel metu, vel gaudio vel dolore, vel ira vel amore. Unde apparet, quid sit de imperitorum sermone, qui satis jam percerebruit, statuendum, qui: quid erudite illae disputationes, inquirunt, rebus enarrandis interpositae, quibus in rationes causasque subtilius inquiritur! Nos rebus solis, quemadmodum gestae sint, delectamur, de iis quid quisque existimet, minime curamus. — Quasi vero illae argumentationes non id agant, quod vel testium inopia vel opinionum varietate vel aliis de causis tenebris obductum est, id ut, quemadmodum revera factum sit, enucleate in medio ponatur. Talibus Niebuhrii, Mülleri, Leonis, aliorum ratio haud perplacet. Beckerus est in deliciis. Eum tractant, is fons est atque perfugium, cujus oratio melle dulcior vel ipsa est videlicet veritatis ac probitatis testis. Quidni, quo puelli, eodem nectare fruuntur?

Jam si eo perventum est, ut historia ad scientiae leges rationemque revocanda atque aestimanda sit, haud scio an, quid in bono rerum scriptore et possit et debeat requiri, perfacile sit exponere. Ac sunt quidem, qui scientiam in sola rerum quadam memoria ponant, ad quam non necessario, sed utilitatis causa mentem rationemque quasi in contubernium quoddam asciscendas putent, quo illam rerum copiam vel diligentius perscrutari, vel aptius collocare vel omnino dilucidiorum reddere possimus. Atqui quum scire sit animo tenere, in memoria qui sola substiterit, simulacro ille doctrinae, neque doctrina ipsa potietur; memoria enim quum inferior tantum animi virtus ac potestas habeatur, ut quae in externa tantum rerum ratione haereat, quidquid sensu perceperis, id memoria quidem tenendum, at phantasia compingendum, mente dispiciendum, ratione denique comprehendendum est, ut ad animi scientiam redactum esse recte dicatur. Animo autem eequid teneri potest, nisi quod ipse est animus? Terram, lapides, metalla manibus tenemus ut res spiritu vitaeque carentes, animo tenere tum recte dicemur, si qui spiritus intus alat, quaeve et proferat et agitet mentis tamquam species, cognoverimus. Ergo mirum quantum erraverint et qui historiam magna illa rerum humanarum, quae in oculorum conspectum cadunt, mole ac varietate contineri putent, et qui tali opinione ducti in rebus perpendendis nominum, numerorum, formularum externarumque quorumque quidem rationem vero historiae interpreti habendam esse censeant, animum vero, qui quaeque quodammodo evocavit atque in medio posuit, perspicendum ingeniosis quibusdam, quos dicunt, praestigiarum illis proprio Marte illatarum magis quam veritatis amatoribus concedant. Habemus potius in humanarum rerum historia animi immortalis vitam sub externarum rerum forma patefactam et propositam, unde apparet, eum, qui in historia scribenda versetur, nisi perspecta animi illius ratione enarrare res gestas non posse, quae ut neque cognosci neque collocari neque doceri sine illa recte queunt, ita per se nullius prorsus pretii ac momenti sunt. Animum

igitur quo quid factum est, cognitum habeat, qui id quo modo factum sit, perspicere atque enarrare velit, animum rerum fundamentum et quasi parentem habeat, neve historiae satisfacisse existimet, qui rerum novarum studiosos usquequaque certis formulis praeteritorum saeculorum obtundat, quas migrare videlicet summae sit impietatis et quasi conturbantis omnia historiae fundamenta. Etenim non in illis certis formulis ac legibus historiae vera vis est posita, sed in eo animo, qui illis manifestum se reddidit ac repraesentavit, cui tamen id discriminis cum illis intercedit, ut vivat semperque tamquam fundi propagarique gestiat neque nova perhorrescat, sed potius concupiscat, quum illae formulae, aptae illae quidem et consentaneae quondam, tamen stabiles et immobiles quasique mortuae animo porro ad majorem continuo ubertatem florumque varietatem efflorescenti convenire nullo modo possint. Animum autem, quo quid factum est, in rebus contemplandis ac dijudicandis vel summum esse, id tam omnibus hodie in promptu absque omnibus concessum esse videtur, ut prolixius me quispiam de re nota disputasse arguerit — et tamen vide, quomodo in hac eadem re omnium omnis hodie vitae controversiarum quasi cardo versetur, vide quantopere theologi quidam obnixe reluctant, quominus novus animus christianus ad novas leges formasque astringatur, quae formae quamquam multum quidem a priscis illis differunt, tantum tamen abest, ut novus iste animus pro alio eoque diverso sit habendus, ut sit plane idem, sed exultior ille, amplior, explicatior factus. Quid? quod corpori concessum est, quum lateribus lacertisque corroboratius et adauctius effectum sit atque ad artuum plenitudinem adoleverit, infantiae abjecisse fascias et incunabula, quae ejusdem corporis infantiam quidem nec tamen virilitatem tegere possint; animo vero non licebit, cujus incredibili progrediendi celeritate luxurianterque efflorescendi impetu atque cupiditate vehementius nec dici nec cogitari quidquam potest? quae quidem tanta est, ut qua hodie forma animi sententiam expresseris, eadem cras vixdum satis stricta et tamquam membra plena referens vestis appellari queat, quum vel horae momento circumspectando, perscrutando, comparando, cognoscendo, contendendo, pervincendo e pristino statu elucetetur animus quasique novam rationem induat. Quo tametsi manifestius quidquam esse non potest, tamen isti externas illas formas premunt, quae non absolutam quandam veritatem omnibus omnium temporum hominibus ratam referunt, sed certum tantum tempus quid verum esse statuerit, documento sunt, tamen moderate se progredi quidem velle dicitant, modo ne historica firmamenta ac fundamenta subvertantur, in quibus omnis hodiernae vitae ratio quasi extracta sit, quae fundamenta quum apud illos nihil nisi fixae quaedam literae demortuaeque formae sint, quam ridicule statuunt, intelliges. Quod vero hoc loco disputavi, nonne id in illos quoque cadit, qui in civitatibus et instituendis et administrandis priorum temporum leges, instituta, libertatem omninoque formam etiam nostrae aetatis rationi accomodatam et adaequatam esse debere rati contra omnia, quae novitatem quandam redoleant, enixe tanquam pro aris et focis dimicant? Nonne in omnes omnium ordinum, omnium doctrinarum omnisque denique vitae obscuros viros cadit? Age igitur, non oculorum solum praesidio instructi, sed animi quasi ductu et auspiciis res ab hominibus gestas percensuerimus.

Quae quum ita sint, quaerendum videtur, Odofredus Müllerus num quam aliam opinionem de historiae scribendae ratione imbiberit, quam quae nobis tamquam unice vera sit comprobata. Et hic quidem quum totum viri ingenium omnisque omnium ejus librorum ratio, tum diserta ejus verba testantur, et ipsum in rebus scribendis cum maxime animum et singu-

larum rerum gestarum et universarum gentium censere inquirendum, contuendum atque aperiendum esse. Idque non solum ex eo apparet, quod in Doriensibus, qui liber mihi aptissimus visus est, ex quo testimonia depromerem, usquequaque et Atheniensium et Lacedaemoniorum singula quaeque tum ad universi ingenii rationem referuntur ex eaque explanantur, tum vicissim eo consilio proferuntur, ut illa illustretur ac manifesta habeatur, sed ipsis ejus verbis ad liquidum perducitur, quibus tanquam vestibulo libri sui utitur: „*Meine Aufgabe forderte, einen von den Stämmen, welche die Hauptglieder in dem Organismus des Hellenischen Nationallebens bilden, herausgesondert in seinen äussern Zuständen und Verhältnissen, noch mehr aber in seinem geistigen Wesen und Leben zu erkennen und darzustellen. Die Statthaftigkeit einer solchen Aufgabe läugnet heutzutage Niemand, da man aufgegeben, der Völker Leben aus äussern Umständen und Conjunctionen einerseits und schlaunen Plänen ausgezeichneter Männer anderseits zu erklären, da man einsieht, dass Nationen nur grössre Individuen sind, deren Character von einer höhern Natur von Anfang an bestimmt, durch die Erziehung der Weltgeschichte entwickelt wird, nach Gesetzen, die eben so weit über dem Causalnex der einzelnen Momente, als über der subjectiven Freiheit der Individuen stehn*“ etc. Dorr. I. praef. p. V. sq.

Haec aliaque egregia profitetur Müllerus, ex quibus de historica ejus ratione spem concipere licet haud scio an optimam. Sed vereor, ne ipse non satis perspexerit, quid sit animum vitamque alicujus populi mente complecti enarrandoque persequi. Hunc animum, verum quidem est, aliqua ex parte cognosci posse, si omnibus ejus rebus exploratis singula quaeque quasi in unam ideam compuleris, at eam, nisi in comperto sit, quae ratio huic populo cum ceteris populis intercedat, neque quem quasi locum in universi animi humani cursu teneat, numquam pro certa explorataque habebis. Quemadmodum enim singula singulorum hominum vel dicta vel facta nisi tota cognita natura atque indole aliqua ex parte duntaxat, neque vero tota penitusque pervidere poteris, sic quam quisque populus elaboravit ac veluti repraesentavit animi formam non satis firmo judicio comprehendere posse, qui non quae humanitatis tamquam conformationes et praecesserint et secutae sint, satis teneat, quis est, qui neget. Ea est enim animi humani conditio, ut certo quodam impetu et continuo labore e natura se, qua quasi inclusus et coërcitus tenetur, enixe ad libertatem imperiumque vindicare studeat. In hac igitur, quae animo intercedit cum natura ratione ejusque processu humani generis historia posita est, quae, ut ratio ista alio aliter tempore comparata est, ita in diversas periodos diversasque nationes digesta est, unam alteram excipientes et laborem communem continuantes ita, ut suum cuique pensum peragendum, diversus cuique animi status atque conditio sit. Hac de causa factum est, ut Müllerum infelicissimam explicandis Graecorum mythis operam impendisse contenderem, quem tam parum discriminis inter Graecos et Orientis populos viderem statuere, ut utrorumque mythos, quibus tamen profecto non habes quod magis ex intimo pectoris recessu promanare gentiumque ingenia aperire dicas, tamquam promiscuos haberet et, in quibus totus populus quasi defixus haereret, quos sanctos haberet pieque coleret, eos ex aliis nationibus et natura et sentiendi ratione diversissimis arcessitos atque assumptos esse sibi fingeret. Sed eadem causa commotus eundem Graecorum historiae pessime consuluisse censeo, quippe qui tam angusto pectore tamque praepostera admiratione in adumbrandis Doriensium rebus

versatus sit, ut nimio studio occaecatus neque huic genti recte sincereque informandae satis faceret, et alias Graeciae gentes imprimisque Athenienses ingenti levitate ac parum verecunde tractaret. Vix credideris, idem vir, qui fere perpetuus Spartanæ castitatis, probitatis, simplicitatis, pietatis existit laudator, quam injuste, quam insidiose, quam fere Lysandria fraude, nullis non calumniae vexationisque artibus utens in Athenienses saevierit. Quam gentem semper non solum maximi aestimavimus, sed summopere dileximus, in qua quidquid nervorum ac pulchritudinis haberet Graecus animus, perfectissime effloruisse semper agnovimus, quae ut Graeci animi erat felicissima proles, ita parentis fere sola ad nos praeclara monumenta propagavit, ejus memoriam tantum turpari ac comminui, ut pro inferiore et quodammodo quasi pudenda parte Graeciae sit habenda, nostraeque omnium admirationi ac persuasioni adeo illudi, ab Odofredo Müllero illudi, qui, quamquam animo in rebus scribendis jus suum reddere se velle gloriatur, tamen, qualis sit animus quaeque ejus progrediendi ratio, tam parum perspexerit — id sanequam intolerabile quiddam est, et ne ei quidem largiendum, cujus ceteroquin studio atque labore iudicium de Doriensibus atque imprimis de Spartanis constitutum esse multimodis rectius, infitias ibit profecto nemo. Et hic quidem ardorem quispiam meum cum molestia eorum comparaverit, qui nihil tam aegre ferant, quam si quis errores jam inde a pueris insitos evellere, opinionesque, quae post hominum memoriam propagatae usque ad nostra tempora sine vexatione profluxerunt, vetustate illas magis quam veritate sancitas confutare conetur. Nuper, ajat iste, quum Forchhammerus quod jam pueris decantatum est, Socratem ab injustis ingratisque civibus capite damnatum esse, id ita invertere auderet, ut optimo illum jure a bonis civibus condemnatum diceret, quanti clamores! et tamen, quamvis perverse multa statuisset, erat in ejus sententia, quod improbari nullo modo posset. Et tale quiddam ipse mihi quondam imputavi, quum Mülleri librum lectitans magna quidem ob Athenienses calumniose pessimeque habitos iracundia ac stomacho exardescerem, tamen non minus et tantum doctrinae apparatus horrerem, ex quo larga documentorum seges videretur succrescere, et suspicerem viri ingenium, quod quum multis rebus ingeniose tractatis, tum singularum sententiarum splendore vel invito offerretur quam manifestissime. Quod quum haud scio an aliis quoque accidisset, effectum esse videtur, ut post infelices Langii et Schlosseri nisus nemo in refutanda hac perversa ratione, quod equidem scio, operam poneret. At non insita quadam opinione commotus, sed argumentis ex historiae scientia ductis inque animi humani ratione positus nitens Graecorum injuriosius tractatorum patrociniū suscepi et ita quidem, ut, quid ei, qui Doriensium animum vitamque iudicio complecti atque in medio ponere animum induxerit, ex verae scientiae animique legibus si non exponendum, tamen observandum semper ac perpendendum sit, primis lineamentis magis adumbrare, quam plene copioseque velim persequi.

Ac primum quidem, quum Dorienses sint Graeci animi pars et quasi membrum, quaerendum videtur, ipsius Graeci animi indoles ac ratio qualis fuerit, qualemque quasi ideam Graeci expresserint. Quod ut fiat, vel maxime necessarium est propterea, quia in tanta vetustate facillime accidit, ut singulis rebus non satis intellectis causas rationesque substituamus ab universarum rerum ratione atque ingenio alienissimas. Hac re peccavit C. H. Lachmannus in forma reipublicae Spartanæ exposita p. 222 sqq., quum Spartanorum nobilitatem in altiore loco poneret, quam quem omnino Graecorum ratio pateretur, peccavit Niebuhrius, quum studio cuidam comparandi nimium quantum indulgens Romanorum instituta moresque cum aliis

gentibus et loco et tempore longe dissitis ac natura ingenioque longe diversis conferre illustraque non dubitaret, peccavit sexcenties Müllerus. Habet enim suam quisque populus certam animi conformationem atque tenorem, cujus aequabili temperamento atque instinctu quaevis ciantur ac proveniunt, ut ne minimum quidem satis recte in diversis gentibus eodem animo effectum esse dicas.

In Graecia animus humanus sui quandam conscientiam consequitur, etsi nondum divinitatis suae (nam dii Graeci ipsi sunt quasi humanae originis Graecaeque humanitatis referunt imaginem) sed humanitatis, qua homo omni rerum naturae incredibile quiddam praestat omniumque rerum principatum tenet, quo fit, ut humanitatis jura et leges et honores vigeant in Graecia ac floreant, quum orientalium populorum, quamquam aliorum aliter temperata atque exulta, universa tamen omnium ratio ea fuerit, ut naturae horrore atque potentia dominante nondum ad sui conscientiam eluctati animi sui in rerum natura praestantiam, jus, libertatem honoremque non cognoscerent. Haec tamen humanitatis conscientia, quam primis in Graecis efflorescere omnemque omnis vitae rationem obtinere videmus, non statim maturescit ad virile illud robur, ad severam illam animi gravitatem voluntatisque vigorem et efficacitatem, qua Romanos orbem terrarum sub imperium suum redigere, ordinare, regere atque constringere conspicimus, sed, quandoquidem paullatim adolescit, apud Graecos quidem quasi juventutis adhuc quandam speciem habet, mira quaedam animi tranquillitas per omnem vitam fusa est, omnia laetitia hilaritateque vigent, et juvenilis animus in sui ipsius conspectu defixus vim suam, libertatem ac pulchritudinem admiratur et celebrat, ad suique imaginem ac formam pulchram omnia fingere ac repraesentare studet. Quam tamen hic animi Graeci tanquam ideam principiumque ad brevem quodammodo formulam coactam significavi potius quam exposui, ea ut nisi ex universae vitae omniumque rerum gestarum contuitu hauriri non potest, ita paulatim tantum ac pedetentim exoritur, multis laboribus crescit, in omnes vitae partes descendit, explicatur, ad perfectionemque pervenit, in eaque tamquam elaboranda atque effingenda singulae quaeque gentes aliae aliter occupatae sunt. Hinc suum cuique jus honoremque debitum reddere poterimus. Haec idea autem ita tantum promoveri, excoli conformarique potest, ut quod primum ab optimo quoque solo obscure sentiebatur, id denique pectus pervaderet universorum, quodque primum crepero sensui obversabatur inque pectoris recessu delitescibat, id ad rerum gestarum perspicuitatem ac splendorem progrediretur. Ideae enim vel animi talis est natura, ut non in certo quodam statu subsistere, sed progredi, augeri, laborando, exanclando, pervincedo manifestus fieri gestiat; ut igitur totum genus humanum, sic singulos quosque populos ad majorem sui conscientiam ascendere et ad ideae suae quandam perfectionem et anniti et pervenire videmus.

Jam vero videbimus in excolendo Graeco animo quale pensum fuerit gentis cujusque, quoque modo in eo peragendo versata sit. Et primae quidem Graecorum aetatis ea natura est, ut corporis in membra partesque suas nondum satis digesti speciem referat, quod quidem eodem illo animo animatur ac movetur, rudi tamen illo primisque quasi elementis conspicuo et orientali spiritu multimodis temperato. Paullatim quidem singula membra emergunt, ad suam quandam propriam formam aspirant miramque florum ingeniorumque varietatem exhibent, nec tamen ita sibi emancipantur, ut quasi sui juris omnino possint dici, ut animum istum peculiari ac propria sua ratione effingant atque exprimant, sed ut varia duntaxat nomina ejusdem

corporis esse videantur. Aristoteles Pol. II, 5, p. 51 Goettl.: τοὺς γὰρ ἀρχαίους νόμους, αἶτ, λῆαν ἀπλοῦς εἶναι καὶ βαρβαρικούς. ἐσιδηροφοροῦντό τε γὰρ οἱ Ἕλληνες καὶ τὰς γυναῖκας ἐωνοῦντο παρ' ἀλλήλων. Similia narrat Thucydides I, 6. additque: πολλά δ' ἄν καὶ ἄλλα τις ἀποδείξει τὸ παλαιὸν Ἑλληνικὸν ὁμοίωτροπα τῶ νῦν βαρβαρικῶ διαιτώμενον. Sic factum est, ut Hecataeus Milesius ap. Strab. VII, p. 321. Pelasgos et Leleges, qui antiquissimi Graeciae incolae dicuntur, inter barbaros referret, haud ita multum enim priscum genus ab oriente distabat, ut graecam indolem ac naturam possent cognoscere. Sed omnibus veterum testimoniis computatis quis dubitaverit, quin δῖοι Πελασγοὶ non solum tempore, sed etiam ingenio pro vero principio ac fundamento Graeci animi Graecaeque humanitatis sint habendi? Qui autem populus per varias Graeciae regiones quasi uno animi tenore temperatus unoque nomine a posteris appellatus tranquillam vitam degit pacisque artibus intentam, ejus paulatim animo excitato et mutata forma, existunt singula stirpium vel gentium nomina quasi per se quandam propriam personam agentium, nondum tamen satis discretarum. Emergunt Aeoles, Jones, Achaei, alii et ipsi Pelasgicae originis, sed tamen ad certiore[m] quandam formam aspirantes. Ἴωνες δὲ, ὅσον μὲν χρόνον ἐν Πελοποννήσῳ οἶκον τὴν νῦν καλεομένην Ἀχαιῶν, καὶ πρὶν ἢ Δαναὸν τε καὶ Ἡσῦδον ἀπικέσθαι ἐς Πελοπόννησον, ὡς Ἕλληνες λέγονσι, ἐκαλέοντο Πελασγοὶ Διγαλίεις, quae sunt verba Herodoti VII, 94, idemque 95: Διολίεις, αἶτ, — καὶ τὸ πάλαι καλεόμενοι Πελασγοὶ, ὡς Ἑλλήνων λόγος. Addi his potest Hom. II, II, 681 sqq.:

—, — ὅσοι τὸ Πελασγικὸν Ἄργος ἔγαιον,
οἳ τ' Ἄλον, οἳ τ' Ἀλόπην, οἳ τε Τρηχῖν' ἐνέμοντο,
οἳ τ' εἶχον Φθίην ἠδ' Ἑλλάδα καλλιγένηαικα

Μυρμιδόνες δὲ καλεῦντο καὶ Ἕλληνες καὶ Ἀχαιοί. cf. Apollod. II, 87.

si singulis testimoniis opus sit in re, quae mihi quidem per se patere videtur. Sic Graecorum animus ut quasi corpus in plures partes ac membra discedere, ita in plures easque certiores definitioresque sui conformationes diffundi ac pullulare cupit. Sed vide, ad quantam jam gentium ingeniorumque varietatem in bello Trojano effloruerit, quod incredibile est quantam formarum ingenio, virtute, artibus variarum ubertatem ante oculos ponat. Quae singulae gentes vel potius heroes, in quibus singularum gentium naturam atque indolem effictam expressamque habemus, quamquam alii aliter Graecum animum elaborant ac repraesentant, omnes tamen communis cujusdam naturae tenore et quasi temperatione ita continentur, ut neque populum Graecum neque animum Graecum in suas quasdam individuas discretasque partes ac membra diductum atque explicatum possis dicere; unitas quaedam diversitate plus pollet, omnes tanquam eosdem se agnoscunt, omnes eodem consilio commoventur, omnes Ἀχαιοί vel Παναχαιοί vel κοῦροι Ἀχαιῶν, vel Διολοί vel Δαναοί, vel Πανέλληνες καὶ Ἀχαιοί appellantur i. e. pro uno populo ejusdem naturae ingenique habentur. Post heroicam autem, quam dicunt, aetatem tam alia sit Graeci populi ratio atque forma, ut inde secundam aetatem ducendam esse existimem. In quam quidem priusquam ingrediamur, prior aetas universo quodam mihi conspectu complectenda videtur, ut appareat quid effecerit quantumque Graecum animum excoluerit. Ut autem cujusvis ideae ea est ratio, ut in suas se quasi partes ac momenta dirimere studeat, quo ad suam quidque vim potestatemque perveniat et universa postremo quacunque parte efficta omnibusque numeris absoluta constituatur atque compareat, ita Graeci quoque animi eosdem

nisus laboresque conspiciamus et in hac prima quidem aetate ita comparatos, ut naturae quasi communio atque conglutinatio aut praeponderare aut par esse illi dirimendi instinctu atque impetu videatur. Sed quamquam rudem imperfectumque hujus aetatis animum esse concedimus, tamen Graecam libertatem, honorem, hilaritatem, pulcri sensum, moderationem Graecamque humanitatem usquequaque spirat. Quodcumque pietate, reverentia, admiratione, delectationeque pectus complet, id incredibili quadam phantasiae vi in mirae pulchritudinis formas includunt, rotundoque ore fundunt ac propagant, et omnis vita tanquam speculum pulcherrimas merae humanitatis formas refert, quae tamen omnia non artis mentisque operam, sed naturae tantum impulsu quendam prae se ferunt. Et civitatis ratio illius aetatis est illa quidem nondum ad certarum legum severitatem astricta et in naturali quodam potius sensu posita, quam ad sui quandam conscientiam provecta, sed tamen ubique liberorum hominum communionem proponit, quorum jus honosque communi omnium sensu tanquam certo fundamento nititur. Reges sunt ἐκ Διός, Διοτρεφείς, Διογετείς h. e. jus suum a Jove repetunt, sunt nati reges, primum quidem patresfamilias, indeque stirpis suae principes facti, nullis illi quidem legibus circumscripti nisi quae in naturae et sanguinis cognatione positae sunt. Domi autem honorantur

ἔδρη τε κρέασίν τ' ἠδὲ πλείοις δεπέσσιν,
καὶ τέμενος νέμονται —
οἳ κέ ἐ δωτίνησι θεῶν ὧς — τιμῶσιν
καὶ οἱ ἐπὶ σκήπτρῳ λιπαρὰς τελέουσι δέμους.

Vide quam naturalis hujus principatus sit habitus. Proximi eius sunt γέροντες, μέδοντες, ἡγήτορες, ἄριστοι, et ipsi et virtute et auctoritate multum pollentes regeque haud ita multum inferiores. Sic Alcinous in Scheria:

δώδεκα γὰρ κατὰ δῆμον ἀριπρεπέες βασιλῆες
ἄρχοι κραινοῦσι, τρισκαιδέκατος δ' ἐγὼ αὐτός.

Penes hos regesque summum est omnium rerum arbitrium, plebis est obtemperare, quamquam hi quoque pro liberis viris habeantur ita, ut vel de infima plebe quis convicia contra regem publice jactare audeat, cui respondetur:

Θεροῖτ' ἀκριτόμωδε, λιγύς περ ἐὼν ἀγορητής,
ἰσχεο, μηδ' ἔδελ' οἷος ἐριζέμεναι βασιλευῶν.
Ὅν γὰρ ἐγὼ σέο φημι χειριώτερον βροτῶν ἄλλον
ἔμμεναι etc.

Hanc totam civitatis qualisecumque rationem non paullo mutatam eo tempore reperimus, in quo adumbrando Odyssea versatur, ubi non solum regia potestas ita imminuta est, ut non natus sit, sed factus rex, quare Telemachus dubitat, num ipse patri sit successurus:

ἀλλ' ἦτοι βασιλῆες Ἀχαιῶν εἰσὶ καὶ ἄλλοι
πολλοὶ ἐν ἀμφιάλῳ Ἰθάκῃ, νέοι ἠδὲ παλαιοί.
τῶν κέν τις τόδ' ἔχρην, ἐπεὶ θάναε δῖος Ὀδυσσεύς.

cf. Od. XI, 494 sqq. ibid. 175 sq., sed principum quoque optimatumque potestas magis magisque gliscientibus plebis viribus circumscribitur, quo fit ut apud eos νέμεσις ἐξ ἀνδρόπων aliqujus momenti esse incipiat, ut Telemachus de procorum injuriis conquerens ad plebis judicium quasi provocet, illi autem inter se collocuti jactent:

λαοὶ δ' οὐκέτι πάμπαν ἐφ' ἡμῖν ἤρα φέρουσιν.

ἀλλ' ἄγετε, πρὶν κείνον ὀμηγερέσασθαι Ἀχαιοὺς

εἰς ἀγορῆν — — —

οἱ δ' ὄκ' αἰνήσουσιν ἀκούοντες κατὰ ἔργα·

μήτι κακὸν βέξωσι, καὶ ἡμέας ἐξελάσωσιν

γαίης ἡμετέρης, ἄλλων δ' ἀφικώμεθα δῆμον —

cf. Od. XVI, 425.

Immutatae vitae rationem labentisque aetatis heroicae vestigia qui accuratius persequi voluerit, Iliadem is cum Odyssea, Odysseamque cum Hesiodi carminibus comparet.

Haec autem primae aetatis, quae Pelasgorum et heroum tempora complectitur, quod ad civitatis formam attinet, quasi summa esse videtur, regiam dignitatem naturali illam fundamento nitentem, quamquam aliis temporibus aliter comparatam aliterque optimatum potentia circumscriptam vigere vitaeque moderari, omnis autem vitae rationem non certa legum forma ac conscientia, sed naturae magis quodam impulsu ac sensu contineri.

Interea nova totius vitae conformatio paratur, ex secundae illa aetatis indole prodiens. Graecus animus quasi dirimitur et in certas suas formas ac partes discedit, quae ex concreto illo nec satis definito ac parum conscio prioris aetatis statu emergunt, in sua se quaedam propria corpora colligunt includuntque et sic sua quaeque peculiari ratione universum animum elaborant atque expriment, in qua quidem propria ratione tam defixae intentaeque sunt, ut suum quaeque commodum persequens universarum parum rationem habeat et ipsa sui pectoris angustia intereat. Habes singularum hujus aetatis gentium hac quasi formula descriptum ingenium. Hujus aetatis vigori, strenuitati, alacritati, conscientiae, prospicientiae superior status cedere coactus est, cedit sensuum obscuritas claritati mentis, mythi ad conscientiam, artem certamque formam revocantur, res gestae historia figuntur, naturalis ille civitatis status severa legum morumque disciplina vincitur ac constringitur, ad sui quandam conscientiam, jus debitumque honorem appetunt omnes atque rerum publicarum suarum quique complexu singularia Graeci animi quasi membra ac momenta ad certarum formarum pulchritudinem effingunt. Quarum conformationum labes proficiscitur illa ex eo, quod singulae hae civitates in proprietate sua ac peculiari indole nimium quantum haerentes defixaeque animo Graeciae universo ad liberiores magisque generalem formam cultumque eluctanti non possunt non succumbere, ut quae hucusque ut singulae quidem in universis dominari voluerint, eae ad inferiorem singularum vim locumque detrudantur et singuli tantum flores in universo quasi arboris flore et ambitu conspiciantur. — Ut autem Graecia permultas regiones vel provincias coeli locique natura varie constitutas continet, ita quum mira quaedam multarum civitatum hac aetate varietas efflorescat, tum imprimis tres et appellandae et contemplandae sunt, quae instar omnium sint habendae et quasi summam hujus aetatis contineant, Sparta, Doriensium civitatum ductor, Athenae, Thebae. Hinc igitur demum Doriensium vis ac potestas exoritur et radices agit. Primam enim hujus aetatis conformationem in Doriensium civitate, secundam in Atheniensium, tertiam in Thebanorum videmus effictam, quarum sua quaeque ratione hujus aetatis animum promovet promotumque repraesentat, quandoquidem hic quoque progressum quandam fieri fierique debere, quis infitias ibit, qui altius ad Graecorum ideam descenderit, quique populorum vim potestatemque non in certo quodam statu anxie obtinendo, sed in animo vitaeque altiora semper petente posuerit. Quod utinam in Müllero collaudare possemus! Et primum quidem historiae jus suum concedere

videtur, quum non laudator temporis acti, quantum promoverint Graecum animum Dorienses, id agnoscat et laudet. Negari non potest, omnes vitae formas, quae hucusque valuerint, a novo Doriensium animo vel commutari vel radicitus everti, quum non solum nova, sed altior quoque ratio fieri non possit quin ad suum quaeque ingenium formet ac redigat. Cedit lauta illa atque in externo quodam splendore posita Achaeorum vita, ubi ingenio nondum subacto suum quisque magis arbitrium sequitur, quam communi lege constringitur, ubi naturae magis impulsui, quam mentis conscientiae obsequuntur, atque civitas magis familiae imaginem refert, quam familiarum una mente devinctam obstrictamque effingit communionem, cedit et jure quidem cedit. Ingen-
tibus aerumnis laboribusque exanclatis, quum e priscis sedibus ejecti diu novas sibi quaerent, ad corporis animique patientiam durati et ad sui conscientiam adacti sunt Dorienses, cognitum habent, quanti sit, una omnes mente contineri unumque persequi consilium, quare omnes et eodem quasi naturae fundamento et eadem vitae ratione utuntur, omnes iisdem legibus tenentur eundemque animum exprimunt, quod si fit, efficitur id, quod appellamus civitatem, *κοινωνίαν τῶν ἐλευθέρων* (Arist. Pol. III, 4, 7.), quae communitio ejusmodi est, ut singulorum singulare ingenium non valeat, nisi quod communi omnium salutis inserviat, singulorum autem libertas in eo sit posita, ut in publicis officiis obeundis suae ipsius quisque voluntati satisfaciat seque quasi ipso perfruatur. Et hanc quidem Spartanorum rationem optime a Demarato legimus adumbratam, qui Xerxi haec respondet (Herod. VII, 104): *ὥς δὲ καὶ Λακεδαιμόνιοι κατὰ μὲν ἔρα μαχεόμενοι οὐδαμῶν εἰσι κακίονες ἀνδρῶν· ἀλέες δὲ ἀριστοὶ ἀνδρῶν ἀπάντων. Ἐλεύθεροι γὰρ ἔόντες, οὐ πάντα ἐλεύθεροὶ εἰσι· ἔπεισι γὰρ σφί δεσπότης, νόμος, τὸν ὑποδειμαίνουσι πολλῶ ἔτι μᾶλλον, ἢ οἱ σοὶ σέ. ποιῆσαι γῶν τὰ ἀν ἐκείνος ἀνάγη.* Et similia sunt, quibus Archidamus suos cohortatur ap. Thuc. II, 11. extr.: *κἀλλιστον γὰρ τόδε καὶ ἀσφαλέστατον, πολλοὺς ὄντας ἐνὶ κόσμῳ χρωμένους φαίνεσθαι.* Ita fit, ut continentia quaedam moderatioque in singulis quibusque vel maxime sit conspicua, ut etiam in pugna vel fortissime pugnantiem *λοσσῶντα δὲ καὶ ἐκλιπόρτα τὴν τάξιν* laudare nolint, cf. Herod. IX, 71, unde existit illa, quam maxime in Spartanis admiramur, civitatis harmonia, qua, ut singuli quique pulchritudinis tanquam simulacra exhibent, ita universi ad pulchritudinis quandam speciem conformationemque conglutinantur. Hinc denique vera *ἀρετή, εὐκοσμία, σωφροσύνη* originem ducunt, de quibus virtutibus, ut de omni Spartanae civitatis sensu ac disciplina, morumque legumque ratione permulta egregie disputavit Müllerus. Et est quidem, quod Doriensium civitatem multa communia habere dicas cum ista superiore heroicae aetatis ratione: nam et Dorienses e naturali quodam principio tripartite describuntur, inque eodem regia dignitas nititur, leges aut non sunt scriptae aut tamen ad summam formularum brevitate coactae, quaestus commerciumque neque exercita et contempta, multaque alia existunt, quibus Dorienses a pristino illo statu non ita alienos dixeris; attamen propria hujus civitatis conditio est, ut magis mentis consilio quodam quam naturae impulsu omnia constituta esse videantur. Namque excepta regia dignitate summi civitatis magistratus honoresque adeo non e generis natura proficiscuntur, ut sint potius *ἄλλα ἀρετῆς*, spiritus familiaris emergere non potest, societates non consanguinitatis maxime vinculis continentur, sed vel libero arbitrio vel civitatis imperio nituntur, ut ex *syssitiis* apparet, neque bellum gerunt:

— κατὰ φύλα, κατὰ φρήτρας —

ὥς φρήτρα φρήτραφιν ἀρήγη, φύλα δὲ φύλοις

sed turmis potius descripti, quae jurejurando sibi obstrictae sunt vocanturque *ἐνωμοτῖαι*; tota liberorum educandorum ratio quum publicis legibus moderata, tum publice exercitata est et id agit, ut nova soboles corpore sit firmo animoque subacto, adeo puellae publica educatione ad corporis vigorem strenuitatemque durantur; ne luxuria divitiarumque amor civitatem invadat moresque enervet; non solum summa ubivis simplicitas et domus et vestimenti et victus ceterique vitae cultus more jubetur, sed vel pecuniae usus ita cohibetur, ut nisi ferrea uti non liceat, neve aliarum gentium mores et instituta a civibus cognoscantur, quorum lenociniis ad novandi studium pellecti rerum ordinem immutare conentur, ecce *ξενηλασία* illa, cujus legis etsi terminos non satis cognitos habemus, tamen et peregrinos finibus propulsasse et proprios cives a peregrinationibus cohibuisse videtur. His rebus constipatis, quibus permulta alia possem addere, significare duntaxat volui, quod auctius exponere propter descriptionis brevitate non liceret, quomodo scilicet in mentis quadam conscientia posita dici posset quamque exultantem praestantiorumque animum repraesentaret Doriensium, vel quos omnium instar dehinc nominabo, Spartanorum respublica, de qua re copiosius disserere eo magis supersedere possum, quo acutius id a Müller o perspectum uberiusque expositum est, etenim in virtute ac praestantia Spartanorum inquirenda tam sagaciter versatus est, ut facilius nimium quam parum vidisse putandus sit. — Nunc vero fundamentis actis, de quibus sperandum est Müllerum cum successu quodam impugnatum iri, quamquam jam superiora, quo tenderem, prodiderunt; nunc, ut eum multa praeclare de virtute ac laude Spartanorum disseruisse concedendum est, ita tamen non dubito, injustum eum censorem animi Spartani, iniquum judicem vocare aliarum gentium. Graecum animum in Spartanis mirum quantum promotum esse, ita conspicuum est, ut quae gentes ad hunc animi quasi gradum ascendere non potuerint, jure inferiores sint existimandi, quare praesides sunt suo tempore totius Graeciae, et vel armis coacti vel voluntate sua tanquam rerum Graecarum ductores eos atque magistros suspiciunt omnes. Quaero, cur defloruisse putandi sint; quod tantum abest ut a Müller o satis cognoscamus, ut ipse, postquam eorum res usque ad bellum Peloponnesiacum persecutus est, quoad optime collocatas esse sibi persuasit, tum subito insistat, quasi optimis quibusque delibatis pigeat labem gentis inspicere, quam labem ex hoc bello vel potius contactu Atheniensium contaminatos videlicet traxisse opinetur. Haec sunt viri egregii verba Dorr. I, p. 197: „Die nach Thucydides damals herrschenden Maximen, wonach Verwegenheit Muth in der Sache der Freunde, vorsichtiges Zaudern eine verstellte Feigheit, Mässigung Vorwand der Unmännlichkeit hiess, und Alles zu überlegen dem Nichtsthun gleich galt“ u. s. w. (hoc scilicet ad Athenienses pertinet) „mussten die gute Wirkung der Handlungen der ersten Parthei“ (nimirum Doriensium) „lähmen und schwächen. Jenes „Aufrichtige und Edelgeartete“ der Dorischen Natur, jene schöne Einfalt der altgriechischen Zeit musste in diesem Kriegsdrange verschwinden. Wir sehen daher Sparta und die Peloponnesier wie umgewandelt aus dem Kampfe hervorgehen und schon zur Beendigung desselben eine Handlungsweise und einen Character entwickeln, von dem vorher vermuthlich nur der Keim in ihnen gelegen hatte.“ cf. p. 139. Qui populorum animum explicare vult, is teneat necesse est, conversiones vicissitudinesque eorum non casus temeritate aliqua, sed ex ipsorum ratione pendere, in qua nimirum omnium rerum et secundarum et adversarum semina non verisimile, sed certissime insunt; hoc autem si verum est, ut est, quid magis historici esse potest, quam, qua ratione haec quasi semina externarum

rerum disciplina ad luminis auras educta atque ad certarum rerum formas excita fuerint, expromere? Haec igitur Spartanæ corruptelæ semina ut in ipsa Spartana ratione posita utque paullatim ad florum frugumque maturitatem perducta essent, id sinceri rerum scriptoris fuit, demonstrare, quum ut singulorum hominum, sic populorum vim potestatemque nisi vitiis pariter ac virtutibus, rebus adversis pariter ac secundis rite cognitis perspicere non possimus. Nos igitur, quod Müllerus negligere se posse putavit, quæ Spartani ingenii sit labes et quasi deterior pars, viderimus diligenter.

Et hic quidem incorrupto iudicio utenti obscurum esse non potest, animum Graecum in ea, quam Spartani exprimunt effinguntque conformatione, etsi ad altiorem quandam gradum eluctatus sit, tamen adhuc in iis feritatem quandam, asperitatem, duritiem angustiamque pectoris ita prae se ferre, ut proveci ad veram Graecam humanitatem Spartani dici non possint. Rigidus inflexibilisque horret Spartanorum animus, cujus quum virtutem admireris, labem non negliges. Hunc igitur angusti animi quasi rigorem, hanc illiberalitatis inhumanitatem, hanc adversus omnem liberioris animi progressum cultumque suspicionem atque invidiam persequemur atque quum singulis rebus gestis tum reipublicae quodammodo formis manifesta reddemus. Ac primum quidem quum Müllerus Spartanorum pietatem verecundiamque, qua consanguinitatis generisque jura ac leges coluerint, summis laudibus efferre soleat, non possum non animadvertere, haec pietas quantum domestici commodi ratione circumscripta fuerit. Verum quidem est, Argivos et Messenios non ad eundem florem Doriensium animum promovisse neque tam pure integreque informasse, ex quo ipso patet, penes Spartanos fuisse majus quoddam jus majoremque potestatem, at vide quam alteros ad summam infirmitatem detruderint, quamque prope ad interuersionem alterorum gentem nomenque redegerint, ita ut quicquid gentis reliquum erat, id aut finibus suis exturbarent, aut sub crudelissimae servitutis jugum mitterent. Graecorum servitutem tantum abest, ut ex nostrorum morum ratione dijudicandam esse censeam, ut eam pro elemento Graecae vitae habeam omnino necessario, quod mirum quantum erraverit qui ad Christianas leges revocare velit; sed non minus concedendum est, Helotum servitutem omnium fuisse crudelissimam et durae sanequam Spartanæ mentis testem luculentam; ceterorum enim servorum ratio quum eo admodum tolerabilis facta est, quod fide quisque ac bonis moribus a domino vel libertatem vel tamen benevolentiam consequi potuit (ab injuria lege defendebatur), tum quod tantummodo suae quisque sortis ferebat molestiam; Helotes autem non singulorum misericordiae ac benevolentiae permissi erant, sed durae legis severitate constringebantur, neque suam solam quisque, sed totius gentis miseriam perpetiebatur, quae videlicet ab ejusdem sanguinis gente imposita esset. Jam vero qui justus censor Spartanorum existere voluerit, nonne is hujus inhumanitatis labem et exponet et vituperabit? Quid autem Müllerus fecit? Qui postquam accuratius in hoc institutum inquirens multa quidem ut in fabulis posita jure refutavit (Dorr. II, p. 33—46), hanc barbariem adeo non ad Graecae humanitatis leges coarguit, ut tantum non collaudaret, quamquam vel maxime nitens cryptiae atrocitatem diluere non potuit, quique vel summae immanitatis facinora, quale est, quod Thucydides IV, 80 narrat, Spartanos ex Helotibus optimos quosque, duo millia, quos propter juventutem ac fortitudinem, non certis vestigiis nisi, reformidarent, callidissima fraude libertatis praemium proponentes secrevisse et ex hominum conspectu sustulisse, ut nemo sciret, quonam modo quisque periisset — tale facinus summae levitatis verbis non strinxit, sed vel comprobare visus est (p. 44 sq.):

„Es war dies der Fluch der Leibeigenschaft, welche auch Plato die härteste in Hellas nennt, dass sie ihre Herren gerade da verliess, wo sie ihrer Hülfe am meisten bedurften und sie selbst nöthigte, sich fremden Beistand gegen die eignen Unterthanen in Bündnissen zu bedingen.“ Et eundem virum non puduit Athenienses ita Spartanis opposuisse, ut illorum rationem in summa impietate, qua sanguinis jura legesque laessissent, poneret, hos propter naturae necessitudinem pie verecundeque habitam celebrandos esse putaret. Cf. lib. I, p. 196, quam totam paragraphum miraculorum plenam deprehendes.

Quos autem duri, ferocis, quid? quod crudelis animi incusavimus, ii quin omni ad majorem quandam libertatem progressui inimici fuerint, non minus dubitandum est. Nimirum quod Müllerus in magna laude ponit, id nobis quidem nisi ab illiberali quadam pectoris angustia non profectum esse videtur. Spartanos constat tyrannidibus fuisse Graecis inimicissimos et plerarumque eversores. Sic paullatim — Κυψελίδαας ἐξέβαλον ἐκ Κορίνθου καὶ Ἀμπρακίας, ἐκ δὲ Νάξου Λύδαμιν, ἐξ Ἀθηναίων δὲ τοὺς Πεισιστράτου παῖδας, ἐκ δὲ Σικκῶνος Αἰσχίηνην, ἐκ Θάσου δὲ Σύμμαχον, ἐκ δὲ Φωκίων Ἀδλίην, ἐκ Μιλήτου δ' Ἀριστογένη etc., quae sunt verba Plutarchi de Herod. mal. Vol. XII, p. 299 sq. ed. Hutten, qui idem Herodotum perstringit, quod Spartanorum adversus Samum expeditio qua de caussa suscepta fuerit, parum intellexerit, καίτοι πόλις ἐν τοῖς τότε χρόνοις οὔτε φιλότιμον οὔτως, οὔτε μισοτύραννον ἴσμεν, ὡς τὴν Λακεδαιμονίων γενομένην. Plut. 1. 1. Utque ex superioribus patet non solum in civitatibus suae stirpis, sed in aliis quoque novis tyrannorum imperiis extinctis res ad pristinum statum, ubi apud optimates summa rerum fuerat, revocare studebant. Similem in modum postea ubicunque potestatem nacti erant, populi imperia everterunt, quare Arist. Pol. V, 6, 9: οἱ μὲν Ἀθηναῖοι πανταχοῦ τὰς ὀλιγαρχίας, οἱ δὲ Λάκωνες τοὺς δῆμους κατέλυνον. Hinc Müllerus ubique in Atheniensibus evertendi novarumque rerum studium, in Spartanis conservandi agnoscit voluntatem: „Anhänglichkeit an das Alte dem Streben zum Neuen gegenüber. Jene ist Hauptzug des Dorischen Sinnes, des Jonischen Neoterismus. Jene wollten alte Ehre und Macht, wie Sitte und religiöses Herkommen bewahren, diese meistentheils etwas Neues, oft wie in der Sicilischen Expedition nur dunkel gedachtes erjagen.“ Dorr. I, p. 196; quibus adde, quae paullo ante dicit p. 193: „Fasst man die eilig angedeuteten Ereignisse zusammen, so findet man völlig durchherrschend bei den Lakëdämoniern ein durchaus nur abwehrendes, herstellendes, erhaltendes, bei den Athenern dagegen ein stets angreifendes, umwerfendes, neugestaltendes Verfahren.“ Et II, p. 7: „Jene (Dorienses) hatten unter allen Hellenen am meisten Ehrfurcht vor der alten Zeit und nicht schlechter zu sein, als die Väter, war für Spartiaten die höchste Ermahnung; diese dagegen (Jones) waren neoteristisch in jeglichem Thun und für fremde Mittheilung ausnehmend empfänglich, daher sie auch ihre Städte überall seeländisch, die Dorier lieber binneländisch anlegten“ (quod extremum ita non verum est, ut ex ipsius Mülleri coloniarum recensu plane refutetur (Dorr. I, p. 102 sqq.), etenim quas urbes Dorienses in media terra sitas repererunt, non dicendi sunt condidisse, quas condiderunt, maximam partem ad oram maritimam erant positae). Jam quod hic multisque aliis locis commentatus est de utriusque gentis discrimine, veri aliquid continere, negari non potest, ingens autem error in eo est positus, quod ex hoc alteris meram laudem, alteris merum opprobrium redundare sibi persuasit. Hic vir doctissimus aliquantisper oblitus esse videtur, animum se populorum professum

esse informatum, cujus ratio quum ita comparata sit, ut non in eodem semper statu permaneat, sed potius altiora petens liberior fieri concupiscat, fieri non potest, quin e pristinis formis eluctatus novas appetat, quae ut illae pristinae priori, sic novae rationi sint accomodatae. Ac sic quidem animus rerum mutandarum cupidissimus acerrimusque novarum rerum molitor potest appellari, sic Athenienses quoque omnesque, quae liberiori animi culturae patebant, Graecae civitates antiquarum rerum quodammodo eversores non dici nequeant, at vero, qui in populorum historia animum omnium rerum fundamentum esse omniumque rerum quasi veritatem continere perspexerit, non eum, qui novas sibi formas asciscit novae illas animi rationi aptas consentaneasque, sed, qui in certo suo statu certisque formis contumaciter haeret novumque animum cum novis formis vel despicit vel restinguere conatur, eum jure verum eversorem vitaeque turbatorem esse censebit. Quid igitur? Nonne quaecunque in Athenienses aliasque civitates probra ingerit Müllerus, ea Spartanis potius objectanda sunt, ut qui juvenilis animi Graecus nisus atque labores vel, si poterant, dura manu comprimerent, vel, si non poterant, faventibus inviderent? Tyrannorum imperia, quae certo quodam tempore per Graeciam florere videmus, non casu quodam vel morum quadam depravatione, qua Müllerus gaudet opinione, sed e vera liberi animi ratione originem ducere, qui non in singulis quibusdam habitare et coercitus esse, sed per omnes, simulac ferendo oneri pares facti sunt, fundi aequabiliter propagarique cupit, quis est, qui hodie ignoret? Optimatum imperia quo magis ad paucorum superbiam comminuntur, eo molestiora fiunt plebi, quae ipsa illorum imperio paulatim quasi educata, variis laboribus exercitata, commercio, itineribus artibusque factitandis ita exulta est, ut non solum optimatum animum aequiparare, sed jam novam animi rationem eamque altiore exhibere ac repraesentare possit dici, quo fit, ut libertatis rerumque administrandarum non modo cupida sit, sed etiam potens. Quod tamen antequam ad perfectum quendam popularis civitatis statum pervenit, media quaedam interponitur civitatis conformatio, qua plebes non satis illa quidem ad publica negotia gerenda idonea, sed tamen ad majorem libertatem aspirans et aspero optimatum dominatu coacta unum ex suis omnium ad res gerendas instructissimum sibi praeficit, cujus ductu optimatum potentiam insingat, cujusque manibus reipublicae administrandae habenas permittat, ita ut in tyrannorum imperio necessarium quemdam ad popularem statum, ubi non penes genus, sed penes virtutem summa rerum est, habeamus transitum. Quo imperio quantum incrementi Graecae civitates ceperint quantumque floruerint, demonstrare nostri consilii esse nequit, Athenis, Corintho, Sicyoni quam salutare faustumque fuerit Pisistratarum, Cypselidarum, Orthagoridarum imperium meminisse sufficet. Quae tamen adeo non sive respexit, sive perspexit Müllerus, ut Spartanos harum novarum formarum extinctores priscarumque restitutores hanc ipsam ob causam verae libertatis, generosi animi, simplicitatis atque integritatis antiquaeque pietatis custodes vindicesque appellaret, quo aberrare nemo potest, nisi qui universae Graeciae parum ratione habita in singulari quasi membro omnem amorem admirationemque extrinsecus magis allatam, quam e re ipsa profectam collocaverit atque populorum vim ac potestatem in externis quibusdam rebus ac formis magis, quam in vivi animi flore ac vigore positam esse existimet. Cujus quidem vitii Müllerum eo magis convictum habemus, quod ita non constantem sibi deprehendimus, ut idem, qui hoc loco Spartanos tamquam antiqui animi ordinisque pios defensores ac praesides laudibus extollit, eos non modo non vituperet, sed etiam laudare videatur, quum Achaeorum placidam splendidamque rationem totiusque Pelopon-

nesi vitam ab irruentibus Doriensibus turbatam, mutatam, fractam conspexerit. Quid ergo? His computatis num dubitabimus, quin hic quoque vir illustris propter nimium quendam Spartanorum amorem caecutire putandus sit?

Atque hucusque quidem Spartanorum illiberalitatem adversus eos, qui magnam partem ejusdem stirpis, quibusque superiores viribus erant, persecuti videamus, haec animi angustia qualis in eos manifesta fuerit, qui pariter instructi sua defendere propulsareque aliena poterant; etenim hic illiberali animo gignitur invidia, quae quidem mire quantum in Spartanis exardescit adversus Athenienses. Quo modo factum sit, ut Athenienses tam subito ad tantum florem evehentur, paullo post viderimus, nunc quales Spartani se praebuerint, quaeram. Qui quum liberio rem animi Atheniensis rationem non comprehendere, nedum consequi possent, nova ista alacritate, vigilantia, industria, vigore, fortitudine in tantam perturbationem conjecti sunt, ut suspiciose semper et anxie quidquid novi Athenis fiebat, attenderent. Hoc enim fere illiberalis angustique est animi, majora quaeque, quod assequi non possit, invidia ac suspicione persequi atque vel insidiarum fraude circumvenire cohibereque. Sic Spartani, qui tanto odio tyrannos persecuti erant, ut Athenis etiam ipsis auxiliantibus expulsi essent, quid consilii ceperunt, quum Atheniensium rempublicam efflorescere vidissent? — *ὡς τοὺς Ἀθηναίους ἐόρειον ἀξιομένους καὶ οὐδαμῶς ἐτοιμοὺς ἐόντας πείθεσθαι σφί, νόφ λαβόντες ὡς ἐλεύθερον μὲν ἔδν τὸ γένος τὸ Ἀττικὸν ἰσοῦροπον τῷ ἑωτῶν ἂν γίνοιτο, κατεχόμενον δὲ ὑπὸ τυραννίδος ἀσθενὲς καὶ πειδαρχέσθαι ἐτοιμόν· μαδόντες δὲ τουτέων ἕκαστα, μετεπέμποντο Ἰππίην τὸν Πεισιστράτου ἀπὸ Σιγείου τοῦ ἐν Ἑλλησπόντῳ. Herod. V, 91.* Quos expulerant, eos reduxissent, ni obstitisset Socielis Corinthii oratio. In bello Persico autem, quum Athenienses magni generosique animi non minus, quam summae fortitudinis testimonia ederent splendidissima, multisque rebus patefieret, quo Graeciae abiisset principatus summaeque auctoritas, adeo non communi saluti prospexerunt Spartani, ut domestici solius commodi rationem habere viderentur tantamque illiberalitatem expromerent, ut Athenienses communes omnium defensores in summo rerum discrimine turpiter desererent. Mitto, quod ad Marathonem pugnantibus tam sero auxilio venerint, *ἀδύνατα δὲ σφί ἦν τὸ παραντίνα ποιέειν ταῦτα, οὐ βουλομένοισι λείπει τὸν νόμον· ἦν γὰρ ἰσταμένον τοῦ μὲν εἰνάτη· εἰνάτη δὲ οὐκ ἐξελεύσσοθαι ἔφασαν, μὴ οὐ πλῆρεος ἐόντος τοῦ κύκλου·* quamquam haec quaedam pietas ut laudanda aliqua ex parte, ita non minus in mentis quadam angustia ponenda mihi videtur; sed post pugnam Salaminiam, quum Athenienses non solum suo consilio suisque copiis Graeciam servassent, sed etiam propterea, quia suadente Mardonio ipsi salvi esse patriamque prodere noluerant, crudelissima urbis agrorumque devastatione repetita vexarentur, Spartani cum Peloponnesiis non auxilio aderant, sed domi festa agebant et ut se quidem tutos praestarent, Isthmum munimentis claudere studebant. Et quum Athenienses legatos misissent de tali perfidia conquerentes, *οἱ ἔφοροι ἀνεβάλλοντο ἐς τὴν ὑστεραίην ἐποκρίνασθαι τῇ δὲ ὑστεραίῃ ἐς τὴν ἐτέρην. τοῦτο καὶ ἐπὶ δέκα ἡμέρας ἐποίηον, ἐξ ἡμέρης ἐς ἡμέρην ἀναβαλλόμενοι. Ἐν δὲ τούτῳ τῷ χρόνῳ τὸν Ἰσθμὸν ἐτείχεον, σπουδῆν ἔχοντες πολλὴν πάντες Πελοποννήσιοι καὶ σφί ἦν πρὸς τέλος. Herod. IX, 8.* Hic habes aliud Spartanæ pietatis probitatisque exemplum. Tandem auxilium miserunt auctore Tegeata quodam, ne majus damnum acciperent, si Athenienses malis coacti ad Persas desciscerent. Et bellis feliciter confectis quum Athenienses dirutam urbem restaurarent moenibusque tutarentur, vide quam id invidia ducti aegre ferant Spartani, qui cum

sociis et classis magnitudinem et praeclaram audaciam, quam in bello exhibuerant, metuentes legatos ob eam rem mittunt: *ἤξιον τε αὐτοὺς μὴ τειχίζειν, ἀλλὰ καὶ τῶν ἔξω Πελοποννήσου μᾶλλον ὅσοις ξυνειστέλει ξυγκαθελεῖν μετὰ σφῶν τοὺς περιβάλλουσ· τὸ μὲν βοτλόμενον καὶ ὑποπτον τῆς γνώμης οὐ δηλοῦντες ἐς τοὺς Ἀθηναίους, ὡς δὲ τοῦ βαρβάρου, εἰ ἀέδις ἐπέλθοι, οὐκ ἂν ἔχοντος ἀπὸ ἐχθροῦ ποθεῖν, ὥσπερ γὰρ ἐκ τῶν Θηβῶν, ὀρμᾶσθαι* Thuc. I, 90. Sic ubique invidiam in Spartanis deprehendimus, qua Atheniensium luminibus non palam, sed occulte obstruere student, sic Thasiis, quum ab Atheniensibus defecissent, clam promiserant, auxilio venientes in Atticam se invasuros esse (Thuc. I, 101), in quo quum propria calamitate impediti essent, tamen non frustra Atheniensium auxilium contra Helotes implorarunt, missus est Cimone duce exercitus auxiliaris, quem tamen paullo post contumeliose dimiserunt non certa ulla caussa, sed suspicione moti, ne quid novi subito Athenienses molirentur. Quae suspiciosa tectaque agendi ratio ut quendam propriae imbecillitatis sensum expromit, ita vehementer ab ea integritate eoque candore abhorret, quo Müllerus Spartanos habet exornatos, quemque tantum abest ut equidem ita pari ratione pervideam, ut, ubicunque iis cum Atheniensibus rem esse video, ibi angustiores circumscriptioresque animum eorum quandamque ingenii tenuitatem deprehendam vel manifestissimam. Athenienses autem quum Spartanos ubique invidia flagrantes sibi obtrectantes viderent et occultum eorum tortuosumque ingenium cognoscerent (*ἐπιστάμενοι τὰ Λακεδαιμονίων φρονήματα ὡς ἄλλα φρονούντων καὶ ἄλλα λεγόντων* Herod. IX, 54), tum denique factum est, ut et ipsi inimicitias adversus eos exercerent, quibus de caussis postea bellum illud exarsit crudelissimum et maximum, quo utriusque gentis flos conflagraretur. Quod quidem bellum ansam praebuit Müllerō ad antitheta quaedam ingeniose comminiscenda, speciosiora illa quidem quam veriora, in quibus causam rationemque belli Peloponnesiaci exposuisse sibi persuadet (Dorr. I, p. 194 sqq.). Simplicius de hac re loquitur Thucydides, qui: *Lacedaemonii, inquit, bellum gerendum esse decreverunt οὐ τοσοῦτον τῶν ξυμμάχων πεισθέντες τοῖς λόγοις, ὅσον φοβούμενοι τοὺς Ἀθηναίους, μὴ ἐπὶ μείζον δυνάμειν, ὄρῶντες αὐτοῖς τὰ πολλὰ τῆς Ἑλλάδος ἐποχεῖρια ἤδη ὄντα*. I, 88 extr. per quem eundem compertum habemus, Spartanos ita non juri suo fisos esse, ut speciosas caussas circumspectarent, quibus recte bellum intulisse putarentur, cf. l. l. 126. Et hactenus quidem Spartanorum animum, qualis rebus gestis expromtus sit, licuit persequi; hinc quidquid malum ingenium prodiderit, id Atheniensium exemplo corrupti fecisse ex Müllerī scilicet sententia existimandi sunt. Nunc igitur nonnullas eorum leges institutionesve percensebimus, quibus eorum angustior ratio perspicua fiat et quasi labes demonstratur.

Atque hic quidem non repetere in animo est, quae tam recte quam severe de Spartanorum institutis iudicat auctor sanequam locupletissimus, Aristoteles, cujus quamquam nonnulla opprobria quaedam senioris tantum temporis propria stringunt, pleraque tamen in vitia cadunt omnibus temporibus communia. Vid. Pol. II, 6. Pauca tantummodo, ut ex consilii mei ratione, ex illis delibabo, namque id ago, ut Spartanum animum, quamquam, si cum heroica Pelasgicaque aetate comparetur, liberior possit appellari, non satis tamen liberum expeditumque esse demonstrarem, ut ejus civitatis formae ac leges tantum domesticae cuidam immobilitati ac stabilitati faverent, quantum Spartani omnes exterarum gentium ad majorem libertatem aspirantium nisus opprimere studebant, ex quo evincitur, animum Graecum sub aliarum demum gentium formis ad majorem suam perfectionem potuisse pervenire, quum Spartani immaturore adhuc imperfectioreque effingerent.

Et quum Spartanorum civitatem ab illa superioris vitae conformatione ita differre viderimus, ut illic omnis vitae ratio institutioque quasi naturae sanguinisque spiritu magis perfusa ac temperata, hic ad certam mentem rationemque conformata et astricta esse videretur, haec tamen ratio dubitari non potest quin adhuc creperum, imperfectum, illiberale, rigidum, stabile quiddam habeat. Vera civitatis vita ac progressio posita est in familiae ratione, quae cum non a certa animi sententia, sed ab amore originem ducat et moderetur, propter hanc reconditam suam internamque naturam particularem hominum animum fovet et fingit sensusque privati est parens atque effectrix; hinc autem vitale civitatis principium nascitur, ut unius legis vinculo haec privatorum aliorum aliter affectorum varietas contineatur, quorum sua quisque ratione hujus communis legis vim exprimat et effingat, qua varie temperatorum elementorum ac virium conspiratione et quasi conflictione novos semper flores ex se mittit civitas adque novarum formarum majorem perfectionem evocatur. Jam extirpari quidem in civitate familia non potest, at ita tamen publicis legibus cohiberi, ut spiritus quidam familiaris emergere adque suam quandam potestatem pervenire nequeat; quod quum fit, tum efficitur quidem id, ut omnes nullis nisi reipublicae vinculis obstricti in communi sola omnium salute elaboranda defixi esse videantur, sed simul extinguitur omnis spiritus motusque vitalis, qui nisi variis iisque quodammodo diversis viribus conspirantibus ac connitentibus existere non potest. Hanc autem Spartanæ civitatis rationem fuisse arguo, quae ut illa prior aetas nisi naturae quodam temperamento pendere videbatur, ita tam abstracta, ut ita dicam, mente tenetur, ut quodeunque naturam redoleat naturalique nitatur fundamento, excutere velle videatur. Hinc factum est, ut honorum possessio tam legibus sit circumscripta, ut libera eorum potestas nemini concessa sit, ut quaestum, commercium, artesque publicas, quocunque sua quemque natura ducit, factitasse pro turpi habeatur, atque, quod hoc loco vel maxime urgemus, ut familiae in Spartanæ civitate vixdum locus reperiatur. Quae omnia si a civitate ita instituta esse dico, animum Spartanum dico, quum universarum civitatis formarum tum singularum legum morumque communem parentem. Vera familia qui existere potest, ubi mulierum disciplina ita comparata est, ut corpora ad virorum alacritatem patientiamque indurentur, animi effrenata licentia ferantur (*ζῶσαι γὰρ ἀκολάστως πρὸς ἅπασαν ἀκολασίαν καὶ τροφεῶς*. Arist. Pol. VI, p. 54. Goettl.), quare omnis domestica pietas ac verecundia, omnis humanitatis mollitudo ac teneritas, quod haud minus mulierum est decus, quam sanctum sensus familiaris quasi fundamentum, non possunt non funditus pessumdari — vera familia qui existere potest, ubi domus ratio adeo non in communitate vitae posita est, ut vir nullo domi negotio retentus per totum diem in publico versetur exercitandoque corpori operam det ac ne coenam quidem domi habeat — qui denique existere potest, ubi ne liberis educandis quidem singularem suam curam impendere possunt parentes, quos quum primum per aetatis teneritatem liceat, civitas non singulis quibusque ad certarum legum normam educandos permittit, sed ipsa sub immobilem rigentemque suam formulam redigit. Ecquid mirari possumus, quum tam quasi uniformem totam Spartanorum rationem conspiciamus, ut idem omnes os eundemque frontem referre videantur. An habes, quam varietatem in Spartanis deprehenderis; vide modo, quae sit Athenis ingeniorum morumque varietas, quamque varie quisque civitatis rationem exhibeat; num simile quidquam apud Spartanos cerni potest, nonne omnes ab Aristodemo usque ad Cleomenem Agiadarum ultimum eandem oris vultusque similitudinem exprimant? etsi seriore civitatis tempore

exsistunt quaedam ingeniorum proprietates, quae tamen in Spartana civitate laborem testantur certissimam.

Haec autem immobilis omnique fere varietate carens Spartanorum ratio ut magnam partem ex institutis illis proficiscitur, quibus particularis quidam familiae sensus omnino tollitur, sic non minus aliis legibus effecta est ex eadem illis pectoris quadam angustia ac rigore profectis. Scimus enim, quam solliciti caverint Spartani, ne quid peregrini non modo e barbaris, sed ne e Graecis quidem civitatibus ad se propagaretur, ita ut et peregrinos a suis finibus excluderent neque suos in aliis civitatibus commorari paterentur. Quae ab omni hominum commercio sejunctio ut hominum naturae est vel maxime repugnans, ita propriae imbecillitatis quandam conscientiam prodit manifestissime. Etenim qui sui ne apud alios corrumpantur anxie veretur, ac ne duces quidem e finibus suis emittere audeat (*φοβούμενοι μή σφίσιν οι εξιόντες χείρους γίγνονται* Thuc. I, 95), is parum profecto fidei in illorum integritate ponere censendus est. Et habent profecto Spartani, quod jure metuant, nam ex quo tempore civitas magis peregrinorum rebus interest, aliorumque mores et instituta a singulis cognoscuntur, ecce hic et illic exsistunt, qui a prisco Spartanorum more desciscant, novum animum induant novasque reipublicae conformationes moliantur. Hinc *ἔβρις* illa primi Cleomenis, qui crudelissimo ipse se supplicio affecit, *ὡς μὲν οι πολλοὶ λέγουσι Ἑλλήνων, ὅτι τὴν Πυθίην ἀνέγνωσε, τὰ περὶ Δημάρητον γενόμενα λέγειν ὡς δὲ Ἀθηναῖοι μόνοι λέγουσι, διότι ἐς Ἐλευσίνα ἐσβαλὼν ἔκειρε τὸ τέμενος τῶν Θεῶν ὡς δὲ Ἀργεῖοι, ὅτι ἐξ ἰσοῦ αὐτέων τοῦ Ἀργεῶν Ἀργείων τοὺς καταφυγόντας ἐκ τῆς μάχης καταγινέαν κατέκοπτε, καὶ αὐτὸ τὸ ἄλλος ἐν ἀλογίᾳ ἔχων ἐνέπρησε.* Her. VI, 75, hinc Pausaniae regis et Lysandri conatus male Spartani (*ὥσπερ ἐν Λακεδαιμόνι φασὶ Λύσανδρον τινας ἐπιχειρῆσαι καταλῦσαι τὴν βασιλείαν καὶ Πανσανίαν τὸν βασιλέα τὴν ἐφορείαν.* Arist. Pol. V, 1, 5, hinc sine dubio aliorum quoque, veluti Cinadonis rerum novandarum molimenta videntur repetenda. Domi immobili quodam statu continentur, foris vitae usquequaque motum ac progressum conspiciunt, quo quum pelliciantur ad vitamque quasi excitentur, num corruptos, depravatos appellabis? quare Müllerus Spartanæ rei amore caecus culpam in alios rejicere studet. Quaero, cur corrumpantur, cur tota Spartanorum civitas collabascet, ex quo cum oriente cumque Atheniensibus signa contulerit, cur illius auro et luxu, horum animi morumque liberalitate pessumdati sint? Nonne eam ob causam, quod non satis firmi erant neque satis poterant resistere? Contra Asiae autem illecebras quomodo parati integrique esse poterant, qui aurum, splendorem, luxuriam hucusque magis propter ignorantiam, quam quod noscerent, in despectu habuerant, atque Atheniensium ingenio quomodo pares esse poterant, quod efficacissimæ vitae, variarumque civitatis conformationum disciplina atque multiplicis commercii, artium literarumque cultura ad multo majorem vim potestatemque profectum erat? Hic igitur causæ delitescunt labis Spartanæ, quas quia vel parum perspexit, vel noluit perspicere, male Müllerum historici munere perfunctum dicere non dubito. Etenim labes Spartanæ civitatis in ipsius animi angusta ratione est posita, qua factum est, ut quum totus in eo defixus esset consilio, ut civitatem effingeret una forma expressam, uno tenore temperatam, unoque animo perfusam, summam rerum in certarum formarum potius stabilitate atque constantia, quam in vitae animique libertate atque efficacitate pariter ad majorem semper perfectionem nitente ac certarum formarum severitate moderanda ponendam esse putaret. Sic omnis particularis animi nisus conatusve, qui in possessione, in artibus,

iterisque, in quaestu commercioque facitudo emergere potest, quique vel maxime familiae ratione fovetur et alitur, restinguitur et quidquid novi extrinsecus ingruit civiumque animos alium aliter afficere novasque ideas potest gignere, propulsatur diligentissime. Quare animus Spartanus effingit ille quidem perfectam quodammodo civitatis formam, quae angustiores ejus rationem si missam feceris, omnibus numeris absoluta omnibusque partibus concinna recte possit appellari, at tamen statuae magis, quam vivi hominis refert imaginem. Apparet haec virium conglutinatio conspiratioque unam voluntatem unamque formam exprimens quam superior esse debuerit disjecta dissipataque pristinae vitae ratione, nec minus tamen in propatulo esse videtur, hanc Graeci animi conformationem inferioris tantum momenti esse habendam, quum primum novam formam indutus idem animus ad majorem libertatem majoremque luminum florumque varietatem ac splendorem pervenisse videatur. Ut autem quasi unius formulae brevitate rem profligem, Spartani magis muti esse quam loqui, magis sentire quam facere, magis stare quam progredi, magis praeterita quam futura spectare videntur, quod quidem cum multis rebus, tum luculentissime omnium probatur Corinthiorum apud Lacedaemonios oratione (Thuc. I, 68 sqq.): ἡσυχάζετε γὰρ μόνοι Ἕλλήνων, ὃ Λακεδαιμόνιοι, οὐ τῇ δυνάμει τιμὰ, ἀλλὰ τῇ μελλήσει ἀμνυόμενοι καὶ μόνοι οὐκ ἀρχομένην τὴν ἀδξῆσιν τῶν ἐχθρῶν, διπλασιούμενην δὲ καταλύοντες. Καίτοι ἐλέγεσθε ἀσφαλεῖς εἶναι, ὧν ἄρα ὁ λόγος τοῦ ἔργου ἐκράτει. Τὸν τε γὰρ Μῆδον αἰτοῖ ἴσμεν ἐκ περάτων γῆς πρότερον ἐπὶ τὴν Πελοπόννησον ἐλθόντα, ἢ τὰ παρ' ἡμῶν ἀξίως προαπαντήσαι· ἐμεῖς τὰ ὑπάρχοντά τε σώζειν καὶ ἐπιγυῶναι μηδὲν, καὶ ἔργῳ οὐδὲ τ' ἀναγκαῖα ἐξικέσθαι. — et: ἀρχαιοτρόπα ἡμῶν τὰ ἐπιτηδεύματα πρὸς Ἀθηναίους ἐστίν. Ἀνάγκη δ' ὡσπερ τέχνης αἰεὶ τὰ ἐπιγυγνόμενα κρατεῖν· καὶ ἡσυχάζουσα μὲν πόλις τὰ ἀκίνητα νόμιμα ἄριστα, πρὸς πολλὰ δὲ ἀναγκαζομένοις εἶναι πολλῆς καὶ τῆς ἐπιτεχνήσεως δεῖ. Διόπερ καὶ τὰ τῶν Ἀθηναίων ἀπὸ τῆς πολυπειρίας ἐπιπλέον ἡμῶν κεκαίρωται. In quibus orationibus quum fere Thucydides exprimat sententia, habemus haud dubie hoc loco veracissimi acutissimique auctoris de Spartanorum ratione iudicium. Haec pectoris angustia ut omni novo flori omnique ad majorem liberalitatem enitenti animo non potuit non invidere atque irasci, ita quomodo universae Graeciae, quum jam ad majorem libertatem viriumque varietatem provecta esset, potuit esse princeps? Princeps enim is vere dicitur, qui ceteris est animo superior, quod sanequam nemini contingere potest, nisi qui ceterorum animos tanquam inferioris in se momenti ipse complectitur. Quod tamen quis in Spartanis perviderit? qui quum in certo suo statu subsistentes quum omnes sui animi ad novarum formarum progressionem pullulantis nisus comprimerent, tum ceterarum Graecarum gentium ingenium formasque nimium quantum perhorrescerent, nihil minus quam Graeciae duces ac tutores esse potuerunt. Quod quidem evidenter cerni licuit in bello Persico, ubi eos in sui tantum commodi ratione defixos parum profecto universae Graeciae salutis prospicere potuisse apparet, quam rem ingenue, ut solet, Herodotus et egregie quidem pronuntiat: Ἐνθαῦτα ἀναγκαίη ἐξέργουμαι γνώμην ἀποδέξασθαι, ἐπίφθορον μὲν πρὸς τῶν πλεόνων ἀνθρώπων, ἄμωσ δὲ, τῇ γ' ἐμοὶ φαίνεται εἶναι ἀληθὲς, οὐκ ἐπισχῆσω. Εἰ Ἀθηναῖοι καταβρώδησαντες τὸν ἐπιόντα κίνδυνον ἐξέλιπον τὴν σφετέρην, ἢ καὶ μὴ ἐκλιπόντες, ἀλλὰ μείναντες ἔδοσαν σφέας αὐτοὺς Ξέρξῃ — τοιαύδε ἐγένετο — προδοθέντες ἂν Λακεδαιμόνιοι ὑπὸ τῶν συμμαχῶν (οὐκ ἐκόντων, ἀλλ' ὑπ' ἀναγκαίης —) ἐμονυώθησαν· μονυώδεις δὲ ἂν καὶ ἀποδεξάμενοι ἔργα μεγάλα ἀπέδανον γενναίως. Ἡ ταῦτα ἂν ἔπαδον ἢ πρὸ τοῦ ὀρέωντες

ἀν καὶ τοὺς ἄλλους Ἕλληνας μηδίζοντας ὁμολογῆν ἀν ἐχρήσαντο πρὸς Ξέρξην καὶ οὕτω ἀν ἐπ' ἀμφοτέρω ἡ Ἑλλάς ἐγένετο ἐπὶ Πέρσῃσι. Herod. VII, 139, quae verba quum honorificum Spartanis exhibent testimonium, tum angustam eorum rationem perspicue ostendunt; mortem illi quidem pro aris et focis Laconicae oppetere potuerunt, universam Graeciam animi vigore et alacritate, neglectione sui ac magnanimitate, consilio atque prudentia sartam tectam tueri non potuerunt. Atque eodem redit Aristotelis sententia, angustam eorum rationem eo vituperantis, quod solis bellicis rebus intenti in pace neque sibi neque aliis possint moderari: πρὸς γὰρ μέρος ἀρετῆς ἢ πᾶσα σύνταξις τῶν νόμων ἐστὶ, τὴν πολεμικὴν. Ἀὕτη γὰρ χρησίμη πρὸς τὸ κρατεῖν· τοιγαροῦν ἐσώζοντο μὲν πολεμοῦντες, ἀπώλλυτο δὲ ἄρξαντες διὰ τὸ μὴ ἐπίστασθαι σχολάζειν, μηδὲ ἡσκημένοι μηδεμίαν ἀσκήσιν ἑτέραν κριωτέραν τῆς πολεμικῆς. Pol. II, 6. p. 59 Goettl.

Jam utra explicandae labis Spartanæ praestare videtur ratio, Mülleri, qui Atheniensium eos contagione corruptos ac pessumdatos arbitratur eoque eorum res non supra bellum Peloponnesiacum persequendas esse putat, quasi novum genus sit subito factum novo illud ingenio novisque moribus praeditum, an ea, qua ex deteriore Spartani animi ratione repetendam esse censemus, qua non subito, sed paulatim a pristino statu detrudantur pristinumque honorem ac potentiam perditum eant? Quod quidem nisi universis rebus et secundis et adversis, et florentis et conturbati status sub uno conspectu positis cerni non potest. Uberior, exultior liberiorque sit totius vitae ratio, ut prisci illius elementi jam amplius ratio habenda non sit, si universarum rerum Graecarum complexum cursumque spectes, at Spartanorum potissimum ingenium ubi cognoscendum et tractandum tibi proposueris, omissis serioris aetatis labantisque civitatis rebus gestis et moribus numquam justum arbitrium agere poteris.

Age igitur, quae caussa est, cur Spartanorum morum disciplina rei publicae vis ac potestas corruisse putandae sint. Est nimirum, ut jam saepies pronuntiavi, proprii animi labes, qua fieri non potest, quin civitas perpetuo invictoque rerum cursu primum infirmetur, deinde concidat. Intereunt igitur proprii ingenii angustia et veluti brevitate, qua in sua tantum peculiari ratione defixi principium suae civitatis vitale non in universae Graeciae ratione animoque, sed in sua tantummodo proprietate positum esse existimant. Et hoc quidem usque eo faciunt, ut hanc suam vim ac dignitatem etiam certi sui sanguinis puritate ita contineri sibi persuadeant, ut paucis exceptis neminem in civitatem velint asciscere, quo fit, ut civitatem magis magisque viribus senescere videamus. Virorum numerus quantus initio fuerit, etsi certo definiri non potest, tamen novem millibus haud minorem fuisse ex ἀναδασμοῦ ratione conjectura possumus assequi. Quorum, si Demarato fidem habes apud Herod. VII, 234, in bello Persico supererant octo millia, in bello Peloponnesiaco, cujus rei auctor est Thucydides, sex millia, Aristotelis aetate mille (Pol. II, 6, 11), tertii Agidis tempore denique septingenti, quod tradit Plutarchus in Agid. 5. Sic naturalis mortis quasi principium in ipsa Spartanæ civitatis ratione latet; sed animus quoque senio paulatim conficiatur necesse est circumcisis ille undique omnique novi incrementi materia carens, cujus quidem natura quamquam ita comparata est, ut novis quasi artibus virtutibusque extrinsecus allatis augeri ornarique nequeat, omnem tamen vim suam ac potestatem eo demum expromit, ut nova materia extrinsecus illata veram suam ἐνέργειαν atque, ut cum Aristotele loquamur, ἐντελέθειαν in medium proferat ac sic demum perpetuo triumphans ex se ipso novarum virtutum artiumque quasi florum laetam segetem pro-

gignat. Haec vis vitalis verusque vivendi vigor non diutius in Spartanis conspicitur, quam dum dura adhuc vitae conditione arma in Graecia dominantur armorumque vi omnis vitae ratio constituitur, quo quidem tempore quum severa Spartanæ rei publicæ disciplina, astricta totius vitae consuetudo, eodemque sensu temperata multorum communio non possit non principatum obtinere inter eos, qui vago dissipatoque vivendi more tenentur, hoc suum jus Spartani fortitudine, constantia omnique omnis generis labore sibi vindicant partoque utuntur. At ubi ceteræ quoque gentes paullatim vel externarum rerum disciplina vel internæ vitæ efflagitatu ad strictiores civitatis quasi uno concentu temperatæ formas coactæ atque devinctæ erant, ubi deinceps ille morum formarumque rigor solvendus atque ad mitiorem emolliendus liberalitatem, ubi durissima vita ex armorum strepitu ad altiora pacati animi studia artesque revocanda et in libera civitate etiam cives liberi fingendi erant, ibi Spartani pristina ratione nimium quantum delectati, principii, cujus quondam ductu ac praesidio principatum totius Graeciae consecuti erant, caeci amatores haerebant neque sequi poterant; hinc vivere, hinc progredi, hinc aliquantisper veluti historiam habere desinit Sparta, Graecia vero vivit, progreditur, infinitam praeclararum rerum multitudinem gignit et effundit eoque ipso Spartanum animum probat neque universum Graecorum animum continere, et ne pro potiore quidem parte esse habendum; est nimirum articulus tantum, unum ex pluribus elementis, quod quum per se existere nequeat, ut in communi fundamento nititur, ita communis praestantiae partem confert ac subministrat.

Quae quamquam probe scio quam sint strictim duratimque scripta ac festinantius arrepta quam accuratius exposita, tamen sufficiant aliquando, quibus et perversa Mülleri in Spartanis laudandis ratio cognoscatur et de rebus Spartanis iudicium constituatur rectius. Hanc autem perversam Mülleri rationem quod contra atque institueram non singulis locis Müllerianis allatis et refutatis, sed perpetua magis mearum sententiarum serie in medio ponere studui, aequi bonique faciant opusculi mei existimatores, etenim quod perspicuitas suadere videbatur, id et moles descriptionis haud sine aerarii scholastici detrimento exuberans prohibebat et ea spes excusare videbatur fore, ut lectorum quisquis celeberrimi viri librum sententiasque satis cognititas haberet.

Accedamus igitur ad alteram reprehensionis partem. Idem Müllerus, qui injustus Spartanorum exstitit censor, de Atheniensibus tam inique quam acerbè judicasse statuendus est. *Ἀθηναίων πόλιν, τὸ τῆς Ἑλλάδος μουσεῖον, ἣν ὁ μὲν Πίνδαρος (fragm. sel. Boeckh. min. p. 210). Ἑλλάδος ἔρεισμα ἔφη. Θουκυδίδης ἐν τῷ εἰς Ἐεργιπίδην ἐπιγράμματι Ἑλλάδος Ἑλλάδα, ὁ δὲ Πέδιος ἐστίαν καὶ πρωτανεῖαν τῶν Ἑλλήνων (Athen. Deipn. V, 12, p. 224 Schweigh. cf. Ael. V. H. IV, 6)*, hanc urbem tam vili pendit Odofredus Müllerus, ut spurcae levitatis, mobilitatis ac rerum novandarum pruriginis, garrulae vanitatis, procacis impietatis atque superbiae criminibus non semel mala avi ductum, sed per totum librum perpetuo offundere eum non pigeat, et quidquid nimiae laudis in Spartanos redundaret, id Athenis ab eo detractum recte opineris. Et antiqui quidem Athenienses, qui ad Spartanorum similitudinem quandam magis accedere videntur, satis illi viro egregio placent, quo autem magis excolitur ac veram vim suam floremque expromit Athenarum civitas, eo acerbius prava ejus ratio perstringenda videtur. At qui fieri potuit, ut homo tam ingeniosus, quique animum in rebus scribendis investigandum explicandumque esse tam disertis verbis professus est, tam perversus veri gentium animi interpret exsisteret? Ipsum videlicet ingenium fraudi

fuit Müllero parum illud subactum neque satis a singularibus quibusdam commentis umbrisque inanibus purgatum, quod quas sibi speciosas praestigias nugosasque de generositate, de nobilitate, de virtute gentium ac de vera humanitatis vita finxit opiniones, pro veris omnibusque ratis ideis haberet, in antiquitatis eas historiam inveheret ad earumque normam rerum Graecarum iudicium exerceret. Quarum opinionum natura quum sit μάλα ἀριστοκρατική, fieri non potest, quin Müllerus iniquus et Spartanorum, nimium tribuendo, et Atheniensium, nimium detrahendo, existat iudex, non rerum gestarum animum indagans, sed suum suggerens. Talia autem praeeudicia quomodo qui non exuerit, humani generis singularumque gentium animum persequi rerumque vicissitudines satis juste interpretari dijudicareque poterit? Ridemus Francogallorum oratores, si quando propriae gloriolae praeeudices res Graecorum Romanorumve ad recentissimarum idearum amplitudinem suarumque vanitatem conditas adornatasque magno cum tumore proferunt, ridemus Rotteckii opus historicum, quo immaturae libertatis alumni hodie pascuntur, quoque nefanda turpissimorum sacerdotum vel optimatum fraude atque superbia et miserae plebis ad humana jura perfruenda eluctantis contentione tamquam caussis primariis populorum res gestas ac fortunas quasi conflatas et constitutas esse docemur — quidni Müllerum rideamus, qui ad opinionum ex medio aevo repetitarum formulas Atheniensium res revocare et iudicare posse sibi videtur? Atat, ne qua ulterius, quam fas est in tali viro, stomachando abripiamur, vela aliquantisper disputationis pandamus ad res Atheniensium rectiore iudicio complectendas, hoc est ita, ut, quae sit propria Atheniensium vis atque potestas, quoque modo Graecam indolem excoluerint ac promoverint, et quo status eorum pessumdatum sit, dispici et cognosci queat, quamquam hoc extremum jam attigisse tantum sufficiet, quum ut Spartanorum maxime labem, ita Atheniensium maxime florem exponere descriptionis nostrae ratio desideret.

Explicavimus supra, quae Graeciae fuerit proprietas singularisque quasi animi temperatio, qualem haec conformationem prima hujus populi aetate habuerit quantumque promotam sit aetate secunda, cujus quidem rationem extremis saltem lineis adumbravimus. Hujus autem aetatis primam formam, paullo durioram illam quidem ac quasi crudioram, Spartanam civitatem demonstravimus fuisse, secundam autem, multo perfectiorem et quasi rerum Graecarum umbilicum Athenas fuisse mox viderimus. Etiam Athenienses adhuc ea ingenii angustia laborant, qua in sua certa ratione nimium quantum defixi Graeciam ad unitatem cogere potius ad arbitrii sui libidinem armorumque vi, quam altiore animo moderatore velint educare, qua quidem pectoris quadam angustia factum est, ut et ipsi velut ceterae hujus aetatis gentes de potentia sua detruderentur. At quam manifestior est factus Graecus animus, quam liberior, quam corroboratior, quam exultior apud Athenienses, quos si cum Spartanis comparaveris, hic in tirociniis versari Graeciam, illic omni juvenilis aetatis flore vigere exsultareque dicas. Quod ut fiat, non casus alicujus temeritate, sed majore Atheniensis animi alacritate atque vigore efficitur, qui quum felicissime naturali suo fundamento temperatus, tum maximarum rerum disciplina eductus sit vel potius ipse se educaverit et ad liberalitatem miramque ingenii ubertatem ac perfectionem conformaverit, ita ut in rebus Atheniensium omnes conditiones et quasi elementa deprehendamus, quibus necessario factum est, ut Athenienses Spartanis evaderent longe superiores.

Magnam quidem gloriam Athenienses in eo posuerunt, quod essent indigenae, quare Plato in Menex. 6: τῆς δὲ εὐγενείας πρῶτον ἐπῆρξε τοῖσδε ἢ τῶν προγόνων γένεσις, οὐκ ἑλληνικὴ οὐσα, οὐδὲ τοῖς ἐγγόνους τούτους ἀποφηνάμενη μετοικοῦντας ἐν τῇ χώρᾳ, ἀλλοθεν σφῶν ἰκόντων, ἀλλ' αὐτόχθονας, καὶ τῷ ὄντι ἐν πατρίδι οἰκοῦντας καὶ ζῶντας. idemque testatur Thucydides I, 2: τὴν γοῦν Ἀττικὴν ἐκ τοῦ ἐπιπλεῖστον διὰ τὸ λεπτόγεων ἀστασίαστον οὔσαν, ἀνδρωποὶ ᾤκονν οἱ αὐτοὶ ἀεὶ. Neque nos in hac re laudem quandam agnoscere non possumus, scimus enim, quid primitus terrae valeat, qua nati sumus, natura, qua tamquam moderatrice hominum animi pietatis quodam sensu conglutinati ad incorruptam sinceramque communionem coalescant, quum vaga migrantium ratio hominum animos vel pietate exuat, vel, quod est in Doriensibus manifestum, ad asperitatem rigoremque obduret. Reperimus igitur primo in hac terra et agri sui natura et Parnethis Cithaeronisque munimentis adversus reliquae Graeciae turbas satis tuta pro solido tamquam fundamento pacatam Aboriginum gentem, reperimus Pelasgos. Ut autem Atticae natura ita comparata est, ut gentem nondum adultam pacato quodam recessu fovere atque ad primam quandam firmitatem possit alere, sic tamen neque a ceterorum hominum aditu commercioque plane reclusa est, ut gens etiam aliorum elementorum accessu varie possit temperari, et in magna agri sterilitate incolae tantum labore exercet, ut quietum hoc solidumque hominum genus mox ad miram animi vigilantiam, alacritatem, industriam vigoremque crescere et variarum conversionum vicissitudinamque tamquam disciplinam subire videamus. Quod in tanta vetustatis obscuritate, si quaeris, quomodo scire possim, pauca profecto vestigia sufficiunt. Herodotus VIII, 44: Ἀθηναῖοι, inquit, ἐπὶ μὲν Πελασγῶν ἐχόντων τὴν νῦν Ἑλλάδα καλεομένην ἔσαν Πελασγοὶ οὐνομαζόμενοι Κραναοί· ἐπὶ δὲ Κέρκροπος βασιλῆος ἐπεκλήθησαν Κεκροπίδαι· ἐνδεξαμένον δὲ Ἐρεχθῆος τὴν ἀρχὴν Ἀθηναῖοι μετωνομάσθησαν. Ἴωνος δὲ τοῦ Ξούδου στρατάρχου γενομένου Ἀθηναῖοισι ἐκλήθησαν ἀπὸ τούτου Ἴωνες. Cui loco si addideris I, 57: — τὸ Ἀττικὸν ἔθνος, ἐδὲν Πελασγικὸν ἄμα τῇ μεταβολῇ τῇ ἐς Ἑλλάδα καὶ τὴν γλώσσαν μετέμαθε. et II, 51: πρῶτοι μὲν Ἑλλήνων ἀπάντων Ἀθηναῖοι παραλαβόντες, παρὰ δὲ τούτων ἄλλοι. Ἀθηναῖοισι γὰρ ἤδη τρηκαῦτα ἐς Ἑλλάδα τελέονσι, Πελασγοὶ etc. habemus sane permultas non nominis solum, sed haud dubie omnis vitae fortunaeque conversiones, fuerunt enim Athenienses et Pelasgi, et Cecropidae, et Jones, et Hellenes; quae nomina quocumque modo interpretabimur, semper tamen diversas quasdam gentis conformationes paulatim existentes indicant, in qua re cernitur, quanta fuerit gentis impigrae vegetaeque alacritas et ad novas easdemque perfectiores formas gradusque emergendi studium. Quid vero? dixerit aliquis, quid de propria vi ac dignitate ejus gentis sperare licet, quae toties nomen suum ac sine dubio cum nomine ingenium quoque mutaverit; nonne jam in gentis incunabulis vitium neoterismi, quem dicit Müllerus, gliscens deprehendimus vel manifestissime? An vero sunt illae status publici commutationes non proprii ingenii mobilitate, sed vi extrinsecus ingruente factae? quod si accidit, gens commiseranda quidem propter tot status perturbationes, neque tamen nimium quidquam de ejus firmitate ac sinceritate sperandum esse videtur. — Quapropter in illa nomina paullo inquiramus, de quibus quamvis magna premantur obscuritate, tamen aliquid, quod ad veri quandam similitudinem accedat, conjectandum erit.

Atheniensibus ipsis non modo indigenas se, sed puri sanguinis neque aliis gentibus mixtos esse persuasum erat, quadeccaussa Isocrates in Paneg. 4: ταύτην γὰρ οἰκοῦμεν οὐκ

ἑτέροισι ἐκβαλόντες, οὐδὲ ἐρήμην καταλαβόντες, οὐδὲ ἐκ πολλῶν ἔδρων μεγάδας συλλεγέντες, ἀλλ' οὕτω καλῶς καὶ γνησίως γεγονάμεν etc. et Plato Menex. p. 245. D: — διὰ τὸ εὐκρινῶς εἶναι Ἕλληνας καὶ ἀμειγῆς βαρβάρων. Οὐ γὰρ Πέλοπες, οὐδὲ Κάδμοι, οὐδὲ Αἰγυπτοὶ τε καὶ Δαναοὶ οὐδὲ ἄλλοι πολλοὶ φέσει μὲν βάρβαροι ὄντες, νόμῳ δ' Ἕλληνας, σοφοὶκοῦσιν ἡμῖν, ἀλλ' αὐτοὶ Ἕλληνας, οὐ μίξοβαρβαροὶ οἰκοῦμεν etc., quod profecto dicere non potuissent, si quid Atheniensibus de barbarum immigrantium occupationibus innotuisset. Quae quum ita sint, Cecropidae quinam habendi sunt? Sunt sine dubio Pelasgi, et si fidem habemus Apollodoro, qui Cecropem indigenam appellat (III, 14, 1), sunt Attici Pelasgi, ita ut nomen eorum nil nisi novam quandam conformationem, novamque quasi aetatem indicet novis illam institutionibus formisque celebratam. A serioribus rerum scriptoribus Theopompo, Diodoro, aliis Cecrops Aegyptius fuisse et cum Aegyptiorum colonia in Atticam adventasse dicitur. Haec Atheniensium cum Aegyptiis necessitudo non e populi quidem opinione sed historicorum periculo quorundam in Cecropem collata esse videtur, at nescio an in genuina quadam antiquitatis traditione nitatur, quae Aegyptiae coloniae retulerit adventum. Etenim quae ab Aegypto coloniae in Graeciam transvectae dicuntur, earum rationem Müllerus quidem diluere studuit in libro de Orchomeno Minyisque scripto (de Cecrope p. 122 sqq.), cujus viri ingenium quum sagacius sit ad suspicandum, quid non sit, quam quid sit, fieri non potuit, quin facile perspiceret, quid in his mythis vel veritati vel veri similitudini repugnaret, at qui internus altiorque sensus mythis contineretur, id utique virum praeteriit. Hanc autem barbararum coloniarum veram rationem in superioris anni descriptione supra dicta p. 37 sqq. jam exposui neque tetigi eum locum nisi, ut, quidquid quisque de Cecropidis sentiret, tamen nullo pacto Aegyptiorum occupationem quandam somniaret, sed ad summum Atticam gentem Aegyptiae culturae animique elementis aliquo modo antiquitus temperatam esse existimaret, quod quidem ut de universa Graecia, sic de Attica non est cur dubitemus.

Difficillior indagatio videtur, qui Jones fuerint, qui in Attica a Xutho Hellenis filio, vel ab Jone Apollinis prole repetuntur, quorum alter in Attica tetrapoli consedissee, alter tantum de tota gente meritis esse dicitur, ut ei rei publicae denuo constituendae potestatem permetterent. Quodsi immigrarunt Jones, ut ne saltem pro alienae stirpis hominibus habeas, sed pro Pelasgis, qui varia fortuna ad bellicam rationem educti quasi novam eorum conformationem effinxerunt et unam ex iis formis repraesentarunt, in quas universum illud antiquissimae Graeciae genus ac fundamentum paulatim discedere supra diximus.

Sed ut breviter dicam, quid sentiam: ne immigrasse quidem Jones puto, qui potius pro eorundem Pelasgorum, Cranaorum vel Cecropidarum, in Attica habitantium nova quadam conformatione habendi sint, quod et Herodotus loco supra laudato testatur, et aliis argumentis doceri videtur haud sane improbandis. Etenim quid est, quod tam subito Jones in Attica emergant, ut ne ullum quidem, et unde et quo modo advenerint deprehendi possit vestigium, quarum rerum memoriam quandam profecto in iis exspectaverimus, quos non in subditorum locum concessisse, sed penes quos summam in Attica auctoritatem fuisse scimus. At luculentius mihi documentum in ipsius cultus mythorumque ratione inesse videtur. Jon vel Xuthi vel Apollinis dicitur filius, quae sunt sine dubio ejusdem rei nuncupationes, quum ξουθός sit idem, quod ξανθός, flavus autem appelletur Apollo. Atqui, quod jam ex hac re conjici potest, id

aliis quoque rebus, quas exposuit Müllerus de Minerva Poliade p. 2, satis probatur, simul cum Ionibus in Attica existere cultum Apollinis atque omnino circa idem tempus mythorum cultusque rationem haud paullo immutari. Hinc Müllerus certo concludere posse sibi videtur, Jones reprobata Herodoti auctoritate pro peregrinis esse habendos, ut qui novum deum novumque cultum secum importaverint (Dorr. I, p. 237), at quum vir doctissimus nobis nondum persuaserit neque umquam persuasurus sit, tant facile novos deos ex improvise importari et in pectoris pietate radices agere posse, haud scio an longe melior nostra fuerit conjectura, qua hanc ipsam ob rem flavi Apollinis sive Jonis Jonumve adventum nihil nisi novi temporis ad altiores quasdam cultus, morum totiusque vitae conformationes efflorescentis adventum esse statuamus. Hinc igitur quam recte Apollinem *πατρώον* et ex Hephaesto et Pallade, diis Atticorum indigenis, progenatum esse dixerint, non minus declaratur, quam Mülleri sententia quam parum probabilis sit, quam de hac re promit Dorr. I, p. 237: „Wir können darin wieder nur das mythologische Streben finden, die Götter einer Stadt in Familiensammenhang zu bringen.“ Quid ergo? sunt Jones antiquissimae illius gentis, quae Atticam incolebat, novus quasi flos gradusve ad altiore animi rationem educatus eaque temperatus et excultus, sunt a Pelasgis animo, non stirpe diversi, et qui in Aegialea et Cynuria reperiuntur Jones, sunt illi aut pro Atticis transvectis aut pro indigenis Pelasgis similibus conditionibus ad eandem statum excitatis promotisque habendi; hoc autem de Cynuriis, qui *αὐτόχθονας* se esse jactabant, illud de Aegialeis forsitan veri videtur similis.

Quodsi Cecropidas itemque Jones Pelasgis et Atticis quidem vindicavimus, numquid tandem distare videtur inter hos et Hellenes, in quibus fere Aeoles et Dores referuntur? C. F. Hermannus, vir de Graeca antiquitate meritissimus, in *Antiqq. Graecae* p. 180 ed. I. Herodoto suffragari videtur, qui Jones in Pelasgis referat, Müllerus Dorr. I, p. 11. Herodoto refragans Hellenes eos esse suspicatur. At idem Herodotus, ut jam vidimus, Jones dicit et Pelasgos et Hellenes fuisse. Et profecto candidus Graecae historiae pater recte si non vidisse, tamen scripsisse putandus est. Omnes enim ex hac quasi communi radice gignuntur, omnesque ad eundem communem proveniunt florem, quam Hellenum aetatem nuncupamus, quae quidem recentior est vel quam supra diximus secunda Graeciae aetas. Et Graeci ipsi quidem, etiam quum ad maturitatem quandam adulti essent, tamen ad recte dispicienda primordia sua et incunabula parum instructi erant, praesertim quum omnino perspicaciores essent in iis, quibus differre inter se viderentur, quam qua communitate continerentur. Ex Graecis scriptoribus igitur etsi varia rerum copia petenda est, tamen nisi nostro judicio complexi fuerimus, veritatem non eliciemus. Sic mirum esse non potest, neque qui Jones fuerint, neque qui Athenienses, satis constare. Athenienses pro Ionibus habebantur, ipsi haberi volebant: *οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι Ἴωνες καὶ οἱ Ἀθηναῖοι ἔφυγον τὸ ὄνομα, οὐ βουλόμενοι Ἴωνες κεκληθῆσθαι· ἀλλὰ καὶ γὰρ φαίρονται μοι οἱ πολλοὶ αὐτέων ἐπαισχύνεσθαι τῷ ὀνόματι. Αἱ δὲ δώδεκα πόλεις αὐταὶ τῷ τε ὀνόματι ἠγάλλοντο κ. τ. λ.* Herod. I, 143. Num quando factum est, ut gentem ullam nominis sui puderet, nisi plane alia ingenio moribusque facta esset? Numquam profecto, et sic ne Athenienses quidem neque pro Ionibus haberi volebant, neque revera amplius habendi erant. Ut enim Jones non singularem quandam stirpem, sed potius certam quandam Graeciae Atheniensiumve aetatem significare vidimus, ita Athenienses, quum ex hac quadam animi conformatione evasissent, non magis Jones quam Cecropidae Cranaive habendi sunt.

Hinc autem concidit eorum sententia, qui in nominibus nimium quantum haerentes his nominibus Graeciam regi putant, quum jam fere inania ac demortua essent; hinc Mülleri sententia concidit, qui summam rerum Graecarum usque ad bellum Peloponnesiacum fere in Jonum Dorumque diversitate contineri persuasisse sibi videtur. Fuerunt quondam hae diversitates, sunt postea prorsus aliae factae, scilicet Spartanorum maxime et Atheniensium, quorum alteri quidem in Dorum ratione substiterant, alteri ex Jonico ingenio incredibile quantum progressi erant. Existere igitur Doriensis natura amplius dici non potest nisi in Spartanis, stabilitatis patronis, ceterae Dorum gentes jam dudum pristinum ingenium exuerant et quamvis in novis formis asciscendis a Spartanis multimodis cohibiti essent, tamen morem ingeniumque restituere, quum semel perdidissent, non poterant. An vero Corinthii, Sicyonii, Argivi, coloniae Dorienses in Doriensi ratione putandi sunt perstitisse? Nonne, si leves quasdam formas eximis, paullatim plane alii facti sunt ad recentioremq; aetatem accomodatioris? Jones autem ubi sunt? suntne Athenis, in Achaja, in Cynuria, in Euboea? Quis hoc nomen ibi deprehenderit? Sunt in Asia minore ibique appellantur Jones. Qui quondam ex Attica in Lydiam transmigraverunt, ii quum e patrio solo tamquam evulsi essent, Jones permanserunt etsi Asiatico more haud paullo temperati. Athenienses autem aliter loquebantur, aliter vivebant, aliter artes factitabant ingenioque omnino erant perquam diverso. Hinc concidunt quoque, quae Müllerus de Jonica fabulatus est Atheniensium indole, in quos quum quidquid levitatis, mobilitatis, impietatis, garrulitatis, procacitatis similiumque rerum ex Jonibus Asiaticis constipavit, cum quadam voluptate transferret, ingenium hujus gentis tantopere deturpavit, ut vixdum recognoscere atque hoc certe intelligere non possimus, quo pacto tam leve atque inane hominum genus tanta, tam gravia, tam pulchra, tam praeclara, tam omnibus numeris absoluta praestare potuerit, quae vel nostrae aetatis majestatem summa admiratione impleant. Concidunt quoque doctissimi viri commenta de caussis belli Peloponnesiaci, Dorr. I, p. 194 sqq., in quo bello Jonicae Doricaeque gentis videre sibi videtur dissidium; verum enimvero sunt nugae, quae illic a viro illustri praetenduntur. Jam si Thucydidis recensum percurramus (II, 9), Spartanorum in bello Peloponnesiaco socios fuisse comperimus Peloponnesios praeter Argivos et Achaeos, quibus cum utrisque amicitia intercedebat, Megarenses, Locros, Boeotos, Phocenses, Ambraciotas, Leucadios, Anactorios, ab Atheniensium autem partibus stetisse Chios, Lesbios, Plataeenses, Messenios, qui Naupactum incolebant, Acarnanum plerosque, Coreyraeos, Zacynthios, Cares, Dorienses Caribus finitimos, Jones, Hellespontios, Thraciae urbes et insularum quotquot intra Peloponnesum et Cretam ad solem orientem vergentes et ceteras omnes Cyclades exceptis Melo et Thera. Inde quomodo qui harum gentium vel paullum tantum notitiam habeat, dissidium Jonici et Dorici nominis colligere possit veram hujus belli rationem fuisse, quum tamen cum Atheniensibus tam paucos Jones eosque haud ita quidem voluntarios, praeterea autem Coreyraeos, Naupactios, Cariae colonias, omnes quidem Dorici generis, stetisse videat itemque Spartanorum socios longe plurimos non Dorienses fuisse reperiat, id sanequam mirabile quiddam est, quid? quod etiam mirabilius est, si quis cognoverit ab eodem Thucydide, justissimo harum rerum arbitro, quae variae rationes belligerantium atque consilia fuisse narrentur, ut quidvis potius quam eodem unius gentis sensu affectos fuisse omnes dicantur. Quae singula si cum supra disputatis comparaverimus, haec satis certo apparere videntur, primum bellum Peloponnesiacum nulla ratione Jonici Doricique nominis appellari posse dissidium cum pluribus de caussis; tum

imprimis, quod eo tempore illa nomina non jam pristina vi ac potestate exstitisse putanda sunt; deinde patebit, quo tandem jure Athenienses Jones appellentur, quantumque qui hoc nomine vitiorum opprobriorumque multitudinem in eos ingerere velit, contra sanctissimas historiae leges peccasse videatur, tum quae sit omnino Jonici nominis ratio et potestas undeque orta, denique per omnes Atheniensis historiae aetates unam eandemque gentem conspici, sed varie affectam, varie exultam varieque constitutam. Hinc videre licet maximum fuisse in hac civitate tanquam historicae vitae vigorem et efficacitatem, cujus quidem vis, quam in Spartanis tantopere desideravimus, in eo ipso cernitur, ut gens quidquid proprii habet ingenii, id magis magisque patefaciat aptisque formis constituat, quae tamen, ut ingenii est semper vivens, florens altioraque appetens natura, sic immutabiles fixaeque haberi nequeunt. Quamvis autem pauca sint, quae ad nostram memoriam de antiquissimo civitatis Atheniensis statu sint propagata, tamen mirae illius humanitatis, liberalitatis, vigoris ingenium varie illud quidem per varias aetates exultum ac manifestum, sed continuo tamen unum idemque usquequaque conspicuum est adque tantum postremo florem provehitur, ut Athenas humanitatis quasi inventrices vetustissimasque magistras habere fere consueverimus.

Ut autem hujus gentis vigorem alacritatemque in magna hac contentione progrediendi liberioribusque se deinceps formis constituendi non agnoscere non possumus, ita liberalior ejus, mitior altiorque ratio primum vel eo cognosci potest, quod minus in sui sanguinis circumscriptione, quam in sui animi ratione veram vim suam ac potestatem positam esse censet, quamobrem non anxie cavet, ne quae nova elementa invchantur, quibus illa sanguinis puritas contaminetur, sed jam inde a principio velut hospes liberalis ex aliis Graeciae gentibus excipit permultos, qui domicilia transferant, ad suos mores, consuetudines omnemque rationem assuefiant indeque sinceri Athenienses evadant. Recordamur Gephyraeos (Herod. V, 57), Pylios et Nelidas (Herod. V, 65), imprimis autem id quod Thucydides I, 2 refert: *ἐκ γὰρ τῆς ἄλλης Ἑλλάδος οἱ πολέμοι ἢ στάσει ἐκπίπτοντες παρ' Ἀθηναίων οἱ δυνατώτατοι, ὡς βέβαιον ὄν, ἀνεχώρον καὶ πολῖται γιγνόμενοι εὐθὺς ἀπὸ παλαιοῦ μείζω ἔτι ἐποίησαν πλεῖστοι ἀνδράπων τὴν πόλιν ὥστε καὶ ἐς Ἰωνίαν ὕστερον, ὡς οὐχ ἰκανῆς οὐσίας τῆς Ἀττικῆς, ἀποικίαν ἐξέπεμψαν.*

Et probe hoc perspexit Dionysius Halicarnassensis, qui in Antiq. Roman. lib. III. Tullum Hostilium haec loquentem facit: „quemvis a nobis in civitatem recipi tantum abest, ut nos pudeat, ut ea re gloriemur vel maxime. Ceterum hoc qui faciendum esse putemus, nos quidem non primi sumus, quippe Atheniensium exemplum secuti, quorum praecipua inter Graecos auctoritas quin in hoc quoque instituto cum maxime nitatur, dubitari profecto non potest.“ Quod autem jam ab initio factum est, id postea cautum quidem est ne libidinosius fieret, sed tamen ita, ut vel servos in civitatem propter merita liceret asciscere. Magna est, quod jam supra professi sumus, ejusdem sanguinis ejusdemque soli ac naturae vis et efficientia, ut jure ac merito Athenienses aborigines se esse gloriati videantur; at quum omnes Graeciae gentes uno eodemque niterentur fundamento, Athenienses, quum ex aliis Graeciae gentibus cives admiscerentur, neque nativam suam genuitatem ac proprietatem pessumdederunt, et largam illam ingeniorum ubertatem nacti sunt, quae perquam rara est in parvulis civitatibus inque tam arcta finium circumscriptione emergere vix potest. Huc autem referenda quoque est magna et erga servos et erga peregrinos humanitas (*φιλανθρωπία καὶ φιλοξενία*), quam si cum

Spartanorum adversus Helotes et peregrinos quosque duritie (ξενηλασία) compares, ad quanto majorem humanitatem ac liberalitatem exculti sint Athenienses, facile intelliges.

Sed ante omnia quaerendum videtur, num quid sit certum, quo Athenienses et animum Graecum promovisse et Spartanis vere praestitisse dici possint, quoque deinde singula quaeque redeant. Ac profecto est magnum quiddam, quo et a Spartanis et a prisca aetate differre videamus Athenienses, est nimirum libertas singulorum, quae quum in prima aetate magis in casus quadam temeritate et crepero quodam sensu posita fuisset, et deinde apud Spartanos dura publicarum legum disciplina ita constringeretur, ut magis in opinione quadam, quam re vera existere videretur, Athenis tandem tanquam natalicia sua egit, in eaque omnis vis ac potestas, omnis gloria atque splendor rerum Atheniensium posita sunt. — Et primum quidem sicuti universorum, ita Atheniensium quoque ratio est, sunt Cranai et Cecropidae in Pelasgica, sunt Jones in heroica aetate, quarum aetatum, quemadmodum ceteri, utuntur ratione; sic prima quoque secundae aetatis conformatione ita afficiuntur, ut iis haud unius tantum rei similitudo cum Spartanis intercedat. Magna est apud Athenienses vitae simplicitas ac severitas, magna est pietas ac deorum legumque religio, hasque virtutes non olim tantum, sed semper in iis cernere licet. Λέλεκται δέ μοι καὶ πρότερον, Pausanias inquit I, 24, 3, ὡς Ἀθηναίους περισσώτερόν τι ἢ τοῖς ἄλλοις ἐς τὰ θεῖά ἐστι σπουδῆς. Et Lycurgus adv. Leocrat. 5: εὐσεβέστατοι τῶν Ἑλλήνων καὶ δικαιοτάτοι. Legum vim autem maximam fuisse, testatur Demosthenes adv. Timocr. p. 701, 10: τῶν γὰρ ὄντων ἀγαθῶν τῇ πόλει καὶ τοῦ δημοκρατομένην καὶ ἐλευθέρην εἶναι, ὡς ἄλλο τι τῶν νόμων αἰτιώτερόν ἐστιν, οὐδ' ἂν ἔνα εἰπεῖν οἴομαι. Et Thucydides II, 37: τὰ δημόσια διὰ θεός μάλιστα οὐ παρανομοῦμεν, τῶν τε αἰεὶ ἐν ἀρχῇ ὄντων ἀκρόασει καὶ τῶν νόμων κ. τ. λ. — Sed ex hoc quasi fundamento, quo utuntur omnes, communi, ex hoc vinculo, quo constricti tenentur omnes, tamen et existere potest libera ratio singulorum et existit utique apud Athenienses. Hinc illa summa varietas morum, ingeniorum, artium, quaestuum omnis denique vitae qua mirum quantum a ceteris Graeciae gentibus distant; perlustra idem, qui in omnibus fere Spartanis eandem ingenii conformationem deprehenderit, perlustra nobilissimorum Atheniensium rationes, quantam naturae indolisque quantam opinionum rerumque gestarum, quantam totius vitae varietatem conspicies! Vide quot artes quaestusque Athenis factitentur, quorum quem quisque maluerit, eum tractat ex sui que ingenii consuetudine exercet et conformat. Sed nisi hac tanta hominum varietate in communi fundamento versantium vera vita vitaeque progressus fieri nullo modo potest.

Sed plenius de hac uberrima Atheniensis vitae varietate et copia, quatenus in summo commercii industriaeque flore conspicua fuerit, exponere eo minus consilii mei esse potest, quo facilius id quam ex multis libris, tum imprimis e Boeckhii opere admirabili possit cognosci. Quae liberior vivendi ratio, in majore illa singulorum jure ac libertate posita, si jam in his externis rebus tam et manifesta et salutaris est, quanto magis in familia atque in civitate erit! Domesticam autem Atheniensium rationem quamquam parum compertam habemus, tamen jam ex his caussis Spartana longe superiorem fuisse recte colligemus, quod et patres familias maximam partem victus quaestusve sui genere domi tenebantur, et in liberis educandis, etsi hic quoque celebratum illud Platonis, pueros non civibus, sed civitatibus nasci, valebat atque parentum arbitrium publicis legibus salubriter temperatum erat, ipsorum tamen ingenium ac voluntas maximi momenti erat, quum apud Spartanos pueruli ab ipso matrum sinu accepti

in publicum deferrentur, quippe quos omnem proles educandae curam non tam eo retulisse videmus, ut humanitatis semina in hominum animos sparsa elicerent atque fovissent, quam ut publicis eam rationibus astringerent et ad civitatis commoda vel eum detrimento humanitatis accomodarent. Sed quae vis humanitatis quodque verae publicae vitae incrementum ac quasi fundamentum in familia sit positum, id supra jam attigimus.

Quum vero rebus ita comparatis Athenis magna morum ingeniorumque existat varietas, fierique non possit, quin singuli quique in hac variarum diversarumque virium opinionumque aestuante vita ac veluti conflictatione facile suae proprietatis quandam conscientiam consequantur, eamque tueri et in honorem adducere cum maxime nitantur, reipublicae forma profecto alia prorsus fiat necesse est, quam quae apud Spartanos cernitur. Quo enim altius illa singulorum propriae potestatis, juris ac honoris proprii conscientia pectus pervadit quoque plurium ad cognitionem permanat ac descendit, eo liberiores fieri student animi singulorum eoque acrius annuntur, ut in administranda republica locum quemdam obtineant. Libertatis autem studium quum in omni humanitate tum praecipue in Graeci animi ratione ita posita est, ut in qua id Graecorum gente singulorum quorumque pectora compleat adque altiora petenda instiget, ibi ad magnam jam perfectionem pervenisse Graecum animum recte dicas. Quodsi recte supra Graeci populi tamquam idea adumbrata ejusque quasi summa in illo sinceræ humanitatis ac libertatis sensu est posita, quae quidem humanitas nisi in singulorum quorumque mente elici domiciliumque habere quaeque libertas ibi demum vere existere potest, ubi per omnes aequabiliter fusa ac propagata habetur, ubi tandem primum ad firmitatem quandam corroborari et excoli potuit, nisi in statu civitatis populari? Vidimus, quale fuerit in antiquissima aetate imperium regium, quam duntaxat in naturalis ejusmodi necessitudinis fundamento nitens, quamque itidem singulorum jura non legibus firmata, sed in sensus quadam obscuritate casusque temeritate magis posita, vidimus deinceps, optimatum dominatus, cujus perfectissimum instar a Spartanis expressum est, quam omnia legum severitate constrinxerit adque certum statum redegerit, quam vero idem summo humanitatis libertatisque jure ad certum quendam hominum numerum revocato ceteros impares inferioresque et esse et permanere voluerit, videmus denique in libera Atheniensium republica igniculum, materiam et opportunitatem libertatis in omnium animis delitescens ad vim suam conspicuamque veritatem elici et progredi ac civitatem ad miram virium varietatem floremque excitare, in quibus rebus qui non veram animi rationem ad majorem continuo libertatem divinitus emittentis perspexerit, is hodie quidem caecutire putandus est. Quae tamen libertas quum non in re quadam sit posita, quae subito manu injecta possit arripi, sed in ea potius animi efficacitate, qua animi sui quisque in rerum natura potentiam, jus honoremque persentiscere queat, Atheniensium libertatem per se patet non ad nutum subito existitisse, sed paullatim tantummodo ac pedetentim e naturae involucris explicatam durissimaeque laborum disciplina ad id roboris educatam esse, quo locum dignitati suae debitum expugnaret. Ac percense, quae paullatim factae sunt publici status Atheniensium mutationes novaeque conformationes, percurrere res a Thesco usque ad Periclem gestas, eequod habes turbulenter fluctuantis ingenii testimonium, eequod novarum rerum studium, an potius continuum invicti animi constanter ad libertatem sibi debitam eluctantis nisum ac laborem? Verum enimvero si usquam alias, apud Athenienses libertatis humanae luctabundae contentiones ad manifestas formas expressae conspiciuntur. Estne hoc novarum rerum studium? estne, quem Müllerus dicit

neoterismus? qui vir utinam non Cleoni subauscultasset, quum propter Mitylenaeos clementer habitos in Athenienses inveheretur: καὶ μετὰ καινότητος μὲν λόγον ἀπατάσθαι ἄριστοι, μετὰ δεδοκιμασμένου δὲ μὴ ξυνέπεσθαι ἐδέλειν· δοῦλοι ὄντες τῶν αἰεὶ ἀτόπων, ἐπερόπται δὲ τῶν εἰωθότων κ. τ. λ. (Thuc. III, 38), sed potius ipse veram rerum rationem perspexisset. In eo demum, quod non in certo loco subsisterant, sed altiora semper appetierunt, vera Atheniensium posita est humanitas, in eo, quod singuli quique libertate sua perfrui et humanitatis jura voluerunt obtinere, vera eorum continetur dignitas, in eo, quod civitas omnes certis legibus institutisque complexa singulorum quorumque ingenia emergere ad suumque quoddam jus pervenire passa est, vera ejus cernitur magnitudo atque potentia. At quum non cuivis contingat adire Corinthum, quaerendum videtur, omnesne Athenienses ferendae pares fuerint huic libertati, ad quam maximopere aspirarunt? Et hic quidem non est, quod ad sapientiam eorum provocem, qui in republica novis legibus moderanda ac praecipue in liberando plebis statu operam posuerint, quique quum aliis rebus tam prudenter prospexerint, tum ab hac quoque re cavisse putandi sint. Hoc tantum dico: quam plebem in maxima commercii industriaeque alacritate versari videmus, quam summorum poetarum atque artificum cujusque generis operibus vel audiendis vel spectandis tanto cum studio tantaque cum delectatione affuisse scimus, ut expolitus ejus pulchritudinis sensus fere in proverbium abierit atque summo jure maximarum artium disciplinis dicatur esse instructus, quam in maximis rerum casuumque discriminibus tantam firmitatem, constantiam, alacritatem, vigorem summamque virtutem praestitisse comperit habemus, eam utique haud imparem fuisse perfruendae libertati censeamus, quae est quaedam exultioris animi de se suoque jure ac honore conscientia, praesertim quum non subito, sed pedetentim arripisset. Lege, quae Herodotus mira Atheniensis virtutis in bellis Persicis conspicuae documenta referat, lege, quibus verbis Atheniensium summam constantiam, fortitudinem, patriae amorem animique praesentiam celebret, quum ceteris Graecis vel languentibus, vel fluctuantibus, vel consilii inopibus, vel singulare suum commodum spectantibus Graeca libertas in eo esset ut pessumdaretur: Νῦν δὲ Ἀθηναῖος ἂν τις λέγων σωτήρας γενέσθαι τῆς Ἑλλάδος, οὐκ ἂν ἀμαρτάνοι τὸ ἀληθές. Οὗτοι γὰρ ἐπὶ ὀκότερα τῶν πρηγμάτων ἐτράποντο, ταῦτα ῥέψειν ἔμελλε. Ἐλόμενοι δὲ τὴν Ἑλλάδα περιεῖναι ἐλευθέρην, τοῦτο τὸ Ἑλληνικὸν πᾶν τὸ λοιπὸν, ὅσον μὴ ἐμήδισε, αὐτοὶ οὗτοι ἔσαν οἱ ἐπεγείραντες καὶ βασιλεῖα μετὰ γε θεοῦ ἀνωσάμενοι. Οὐδέ σφίεας χρηστήρια φοβερά ἐλδόντα ἐκ Δελφῶν καὶ ἐς δεῖμα βαλόντα ἔπεισε ἑλλιπῆν τὴν Ἑλλάδα· ἀλλὰ καταμείναντες ἀνέσχοντο τὸν ἐπιόντα ἐπὶ τὴν χώραν δέξασθαι. Herod. VII, 139. Ecce aliud magnanimitatis exemplum, quod eo tempore ediderunt, quum diuturni belli aerumnis et mores et status publicus jam collabascerent. Ingenti illa clade in Sicilia accepta quum civitas in summam miseriam et domestici doloris et publicae imbecillitatis detrusa esset neque ullo modo frequentibus hostibus resistere posse videretur, en admirabilem liberi animi pertinaciam vegetamque alacritatem. Nuntio igitur illo atrocissimo accepto quum momentum temporis ingenti dolore oppressi essent: ὅμως δὲ ὡς ἐκ τῶν ὑπαρχόντων ἐδόκει χρῆναι μὴ ἐνδιδοῖναι, ἀλλὰ παρασκευάζεσθαι καὶ ναυτικόν, ὅθεν ἂν δύνωται ξέλα ξυμπορισαμένους καὶ χρήματα καὶ τὰ τῶν ξυμμάχων ἐς ἀσφάλειαν ποιέσθαι, καὶ μάλιστα τὴν Εὐβοίαν, τῶν τε κατὰ τὴν πόλιν τι ἐς ἐντέλειαν σωφρονίσαι καὶ ἀρχὴν τινα πρεσβυτέρων ἀνδρῶν ἐλίσθαι, οἵτινες περὶ τῶν παρόντων ὡς ἂν καιρὸς ἢ προβουλευσοῦσι. Πάντα τε πρὸς τὸ παραχρῆμα περιειδῆς (ὑπερ φιλεῖ

δημος ποιειν) ἔτοιμοι ἦσαν ἐνταυτεῖν. Καὶ ὡς ἔδοξεν αὐτοῖς, καὶ ἐποίησαν ταῦτα. Thuc. VIII, 1, cujus locum plene ascripsi, quod miram illam agilitatem, industriam, constantiam in rerum statu afflictissimo luculentius, quam summi scriptoris verbis, in promptu ponere non potui. Quamquam autem hoc tempore labis Atheniensium vestigia haud obscura apparent, tamen nescio an hujus animi praesentiae specimen pleno jure cum summo Romanae magnitudinis exemplo possit conferri, quod post Cannensem cladem in sui nominis gloriam ediderunt. Hoc autem utique patet tantum patriae amorem, tantam efficacitatem laborumque patientiam, tantam denique humanitatem per totum Atheniensium populum viguisse, ut vel minimus quisque sicut harum rerum, ita libertatis quoque particeps esse deberet. Quod quum intellexisset Aristides: *ἀμα μὲν ἄξιον ἠγοούμενος διὰ τὴν ἀνδραγαθίαν ἐπιμελείας τὸν δῆμον, ἀμα δ' οὐκ ἔτι ῥᾶδιον, ἰσχύοντα τοῖς ὅπλοις καὶ μέγα φρονούντα ταῖς νίκαις ἐκβιασθῆναι, γράφει ψήφισμα, κοινὴν εἶναι τὴν πολιτείαν καὶ τοὺς ἄρχοντας ἐξ Ἀθηναίων πάντων αἰρεῖσθαι.* Plut. Arist. 22. Num vero falsus est optimus legis lator, num omnino falsi sunt praestantissimi legum latores, qui libertatis paulatim jura omnibus impertirent, Solon, Clisthenes, Aristides, Pericles? Num quam habemus civitatem, cujus vis ac potestas tam in singulis quibusque civibus conspicue expressa fuerit et ita quidem, ut nihilominus sui quisque ingenii proprietatem obtineret et in medio poneret? Num quam gentem, quae ex hac ipsa caussa praeclariora in tanta finium numerique exiguitate praestiterit?

Ut autem mittamus reipublicae rationem mirum quantum Spartana ista exultiosem, quid Müllerus dicit de Athenarum urbe ingenuarum artium literarumque inventrice ac magistra? Quo modo hanc ingenii praestantiam, hunc politissimum pulchritudinis sensum, hanc fingendi sollertiam, hanc sentiendi ubertatem, hanc cogitandi severitatem aceto suo critico secernet ac diluet, quo ad istam levitatem, vanitatem, petulantiam adque mollem istam fluentemque rationem accomodatiora habeat? In hunc locum delatis, quum antea admirabile videretur, esse quempiam, qui in Spartanis altiosem quam in Atheniensibus indolem inesse ratus illic verum Graeciae robur ac florem, hic levis armaturae quoddam genus alariosque esse contenderet, hoc loco, dico, sane incredibile illud videtur. Sed vide, quomodo ne hoc quidem vel casu quodam vel fortunae favore factum, sed potius in ipsa Atheniensium ratione, qua a ceteris differunt Graeciae gentibus, necessario positum sit. Quae quum eo contineretur, ut apud Athenienses singulorum libertas et ad conscientiam sui et ad jus honoremque progredere, nisi hic humanarum artium literarumque prima sedes existere non potuit. Literas enim artesque qui faciunt, promunt illi particularem sui animi, quo ut universam rerum naturam, sic civitatis quoque suae rationem comprehendunt, modum, quod, qui Spartano more constrictus tenetur, qui peculiarem cujusque rationem libertatemque emergere non sinit, profecto facere non potest, Atheniensi liberalitate altus et educatus potest. — Quod utinam diutius in his rebus versari liceret; sed quo uberiore undique rerum copia circumfundimur, eo magis necessitas finem disputatiunculae imponendi urget. Quam libenter adjecissemus aliquid de principatu illo, quem ἡγεμονίαν Graeci appellaverunt, quem qui etiam post bella Persica penes Spartanos fuisse putarent, quam falsi essent demonstrantes, quam libenter promisso stetissemus, ut de Atheniensium labe quoque exponeretur, quam libenter extremis saltem lineis adumbrassemus, quomodo rerum Graecarum principatus ab Atheniensibus deinceps ad Thebanos deferretur et in qua demum re horum ipsorum natura et ratio niteretur, denique quomodo ab his Graecorum historia

ad tertiam aetatem transiret, Macedonicam illam appellatam, in qua tandem Graeca quasi idea et ad summum florem pervenisse et defloruisse putanda est — sed quum necessitati parendum sit, quod nunc vel attingendum modo vel praetermittendum erat, id mox alio loco et enucleatius et copiosius et ad scientiae leges astrictius explicabimus. — Hactenus autem disputata quum respectem, erubescendum paulo mihi videtur, qui pervideam, quam sint cursim, quam tumultuarie quamque summis tantum delibatis scripta, quod aequi bonique velim ducant iudices atque in tumultuaria scriptionum hujus generis ratione potius, quam in mea levitate putent positum. Et significandum magis erat, quam parum recte Odofredus Müllerus sincero Spartanorum Atheniensiumque judicio consuluerit, quam plenius persequendum; quod si in postrema disputationis parte ita factum est, ut fere nullam sententiarum ejus mentionem injicerem, brevitatis gratia factum est, vel quaevis autem litera expositionis meae adversus ejus opiniones spirat.

Magnum quiddam est, meritissimorum virorum dignitatem honoremque tueri ac defendere, majus quiddam, totam gentem unius viri libidine laceratam, quam praesertim pro hodiernae humanitatis quasi fundamento habeamus, in pristinum honorem restituere. Quod quum mecum volverem, quomodo dubitatio ulla existere potuit, quin quum omnem istam criticam, ut ita dicam, historiam, tum Odofredum Müllerum tamquam hujus generis instar, quam possem, perstringerem? quae ratio quum ita comparata sit, ut usquequaque, quid non sit, facilius possit, quam quid sit, dispicere, acutissimorum horum criticorum quasi sub manibus ad vivum quidque resecantibus vel praeclarissimarum rerum concentus dissolvitur ad nihilumque redit. Ita rerum animo quasi elapso, suum subministrant, qui quum nondum ita corroboratus sit, ut e negatione rerum ad veram earum rationem perspiciendam pervenerit, miris commentis sane nugisque non carere solet. In his commentis igitur nugisque etiam Mülleri opiniones quasdam referendas esse censebam, qui, ut exemplo utar, quum in rerum Atheniensium cursu ac progressu non veram animi humani vitam ac vegetum laborem, sed formarum externarum tantum quassationes, immutationes et casus cerneret, totum hujus gentis ingenium perverterit et ad hanc mancam suam contemplandi rationem deformaverit. Quidquid rerum igitur veritas postularet, id libero ore pronuntiare non dubitabam — at si quid verborum parum verecunde, inconcinne indecoreque sonet ac nimis aspere adversus celeberrimum virum dictum esse videatur, id haud dubie compedum manicarumque durae latinitatis strepitu, quae molestis vinculis animum compressit, magis quam voluntatis quadam acerbitate effectum est:

— — — ἔπος δ' εἶπερ τι βέβακται
δεινὸν, ἄφαρ τὸ φέροιεν ἀναρπάξασαι ἄελλαι.